Ad Rmum. D. P. [illegible]
[illegible] a [illegible] Ambrosio [illegible]
[illegible] [illegible]orum

# NORMA MORTIS,

ab exemplis

# JESU CHRISTI PATIENTIS, AC MORIENTIS

præcipuê desumpta,

&

Morituris omnibus

ad piê felicitérq; moriendum

proposita

per

P. GEORGIUM IWANEK,

SOCIETATIS JESU Sacerdotem.



---

WRATISLAVIÆ,

In Officina Baumanniana Typis exprimebat

Joannes Güntherus Rörerus, Factor.

ANNO M. DC. XC.

✠

SIt tibi JESUS ſemper in corde, & nunquam Imago CRUCIFIXI ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum & deſiderium tuum, lectio tua & meditatio tua, oratio & contemplatio tua, vita, MORS, & reſurrectio tua. *S. Bernard. formul. hon. vitæ. §. 2.*




S. Bruno Cartusianorum Patriarcha.

5

TIBI
MORIENTIS CHRISTI JESU,
Spectabili ECTYPO,
Carthusianæ Asceseos
Principali ARCHETYPO,
Sanctè vivendi moriendique,
Excellenti PROTYPO,
Multorum in CHRISTO Filiorum,
PATRIARCHÆ
GLORIOSO,
Sancte Pater BRUNO,
hanc
Mortis Normam
ratam, gratámq; & sacratam esse,
qvanto possum,
Studio, voluntate, affectu
cupio, exopto, volo.

PArens es Magni tui Ordinis, postremus ego Filiorum Minimæ Societatis; cujus utri-

usq; Charitatem mutuam ſiquis expenderit, illum iſtius Fratrem, hanc illius ſororem jure æſtimaverit. Jam quos inter viget intima meritorum, & amoris Unio, quidni intercedat, & laborum operùmq; communicatio? Quò deinde nisì *ad locum, unde exeunt, flumina revertantur?*

At rivulus iſte, quantuscunq; eſt, conaminis mei, ſuam originem Religioſiſsimæ Familiæ Tuæ refert in acceptis; è latebris umbrarum fortaſse emerſurus nunquam, niſi Tua, Patriarcha Inclyte, Waldicenſis apud Bohemos Carthuſia, quam ego *Fontem*, clauſtri arctioris ſigillo *ſignatum*, meritò appellaverim, opportunam Scriptori aperuiſset venam beneficentiæ, cujus adminiculo in publicam utilitatem, ac lucem latex hic

ſcatu-

ſcaturiret. Quod ſi, ut ſapienter ipſa libri fronte, quem *Directorium morientium* inſcripſit, affirmat Majoris Carthuſiæ etiamnum PRIOR Reverendiſsimus, Ordiniſq; Tui Summus Moderator INNOCENTIUS, *ad vivæ mortis ſcholam veniunt, qui vitam Carthuſianam, & ſolitariam profitentur*; ad quem pertinebit æquiùs *Norma*, ſeu *Regula mortis*, quàm ad Te, PATER Sancte, Religioſiſsimum Scholæ illius Magiſtrum? aut cui potiùs deferri oportuit *feliciter moriendi Methodum*, quàm illi, cui ex infelici Morte Pariſienſis Doctoris felicior, ſanctiórq; vita, tanquam è vepre Roſa, effloruit? cujus ad latus cùm *mortualem calvariam* appingunt Parrhaſii, quid, niſi perpetuam mortis meditationem, & Tibi fuiſse, &

Tuis Alumnis continuò esse in usu loquuntur? cujus dextera cùm *Crucifixum* prætendit, quid aliud, quàm inde videlicet exempla Sanctè moriendi, esse desumenda indigitat? Sed nimirum is deniq; felicissimè emoritur, cujus inter palmas, non secùs atque inter Tuas *palmeo virore* conspicuus frondet Crucifixus. Sanè palma Victoriæ bene viventi promittitur, bene morienti datur. Et Christus quando Crucem ascendit, morti palmam eripuit: quia moriendo mortem triumphavit. O Liceat per Te, Patriarcha Divine, verè dicere, atq; profiteri: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* [a] *Ascendam per virtutis imitationem ad perfectionem doctrinæ Tuæ, Domine, & per*

(a) *Theodoretus apud Cornelium à Lapide in Cantic. c. 7. v. 8.*

*& per contemplationem apprehendam ejus ſublimitatem.* Nihil enim profectò Chriſti Morte ad Doctrinam ſublimius, nihil ad virtutis conſummationem perfectius. Quorum ego utrumq, facilè me conſequi poſse ſperabo, ô Pater Beate! ſi quam gratioſè *Normam Mortis* Tuis ſacratam auſpiciis acceptare, tam promptè illius auctorem ſeriùs ocyùs cum morte luctaturum ſuſtinere fueris dignatus; qui proinde Tuo Sancto Nomini utì devotus in tempore, ſic futurus eſt obſtrictiſsimus in æternitate,

Tuorum Clientum
poſtremus

Georgius Ivvanek.

# Præmonitio AD LECTOREM.

POsteaquam nuper Vitæ Normam *dirigendis potissimùm Scholasticæ Juventutis actionibus accommodatam dedissem in lucem, mirabantur Amici, cur aliorum simili in lucubratione exempla secutus, non etiam de* Præparatione ad mortem *aliqua vel in fine libelli adjecerim; cùm illa vitæ nostræ ad finem vergentis Actio summi sit momenti, & omnium retrolapsi cursûs actionum meta, & corona. Verùm ego mihi hoc ipso, quòd* bene vivendi Normam *conscriberem, videbar unà* Methodum bene moriendi *monstrâsse; quando Sapientûm omnium judicio, nulla sit ad mortem, quàm bona vita, melior comparatio. Deinde, quia strictim ac breviter exequebar modos, quibus consvetæ Actiones rectè institui possent, locupletiorem videbatur tractationem exigere illa tanti momenti ad piè moriendum Præparatio. Res etenim magnæ industriam magnam operámque requirunt. Deniq; probè gnarus, quàm fastidiosa sint ingenia hujus Seculi, longas lucubrationes, & quod*

*& quod prolixum sit, facilè respuentis, nolui ex* Norma vitæ *librum facere, sed statui distinctâ & brevi lucubratiunculâ nobilissimam bene moriendi Methodum non tam ex meo ingenio depromptam, quàm sanctissimo JESU Christi Patientis exemplo sancitam proponere; quam si secuti fuerimus,* aspicientes in Auctorem Fidei & Consummatorem JESUM, ( Hebr. 12. 2.) *non poterimus nisi sanctè, & beatè mori. Ceterùm, te istud primo in limine hujusce libelli vehementer monitum, rogatúmq; velim, Benevole Lector, ut si quidem, quæ leges, probaveris, in usum referre, dum sanus es & valens, quamprimum assuescas; neque verò in tempus illud differas, quo languente corpore, pariter elanguescat animus, fiátq; ad ista exercenda ineptior. quæ mihi causa fuit, ipso* libelli titulo *indicata, cur* Patientem Christum *in bene moriendi Normam* morituris, *quales omnes sumus, etiam cùm valemus optimè, non autem* moribundis *statuerim. Comparatio siquidem ad mortem negotium est ejusmodi, ut eam sæpe sæpiùs exercere repetendo, & exercendo repetere, quàm maximum sit operæ pretium. Equitem accepimus nomine* Adeodatum, *cum dracone Rhodio conflicturum, equum & molossos egregii facinoris subsidiarios ad invadendum fictitium draconem sic erudivisse, ut eorum adminiculo verum postea draconem Victor profligaverit.* ( Henr. Korn. Sacr. Eloquent. pag. 37 ) *Seriùs, ocyùs cum Morte luctabimur, monstro sanè humano generi infensissimo & cujus morsum nemo adhuc evasit mortalium: fingamus, oro, sæpiùs Mortem jam adesse, jam apertos rictus ad nos absorbendos minari; & quibus*

*illius*

*illius ferociam armis aliquando verè elisuri sumus, jam illa nunc stringere discamus. Ne Davidem quidem Saulis Armatura juvat, si careat usu: nec ullis armis tutiùs, quàm assvetis pugnatur. Dum vivimus, in Theatro agimus,* spectaculum facti mundo, & Angelis, & hominibus, *Superest* Comœdiæ (*sic Vitam humanam cum Seneca & Augusto vocemus*) Actus ultimus, & Scena Decretoria, *à qua omnis ratio vel laudis, vel ignominiæ, vel interitûs, vel salutis pendet sempiternæ; quidni admirabilem in præparandis Dramatis, tum Præceptorum in Scholis, tum discipulorum diligentiam imitamur? Prodeundum in theatro comicè; quantæ, DEUS bone! quàm solicitæ, quàm diuturnæ, & quàm crebrò repetitæ unius horulæ spectaculum præeunt periclitationes? Quos labores non sorbet, quos non haurit pulveres, quos non clamores geminat, quos non sudores excitat Præceptor, dum puerum doceat, ùt locare pedes, ùt oculos ferre, ùt moderari vocem, ùt variare gestum, ùt totum corpus flectere ille debeat quarum rerum pericula dum repetuntur toties, incertum est, majórne inde Præceptori labor, an Puero dolor oriatur: si præsertim exercitia in id tempus incidant, quo ceteris liceat vel campis vagari, vel aucupio piscatúve animum remittere; iste verò tanquam ursus catenâ coërcitus, cogatur, quos nollet gestus & saltus edere, Sisypheùmque ludum ad Scholam revocare. Quam sanè Comicorum diligentiam, in apparanda, quam dixi, vitæ nostræ novissima Scena, si tenuiter tantùm & quadamtenus imitaremur Mortales, ausim pollíceri, vix ullum ex nobis malè moriturum.* Præ-

visa

viſa jacula, minùs feriunt: *& rerum bene maturéque diſpoſitarum felices ſunt plerumq; eventus. Sed de his aliàs, & modò quidem plura, quàm voluerim: nunc, quo ordine decurrat Opuſculum, paucis edocebo. Alterutra morte poſſumus ex hac vita decedere,* Lentâ *videlicet, ſive* Violentâ. *Mortem* Lentam *appello, quam corporis infirmitas tempore aliquanto præcedit, quæq;* lento *ad nos, & veluti laneo paſſu progreditur:* Violentam *verò, repentinam quamlibet, quæ, ſi naturæ conditionem ſpectes, non poteſt, niſi* Violentè *accidere. Ut, ſiquis ex alto repentè corruens, cervicem frangat, aut aquis mergatur, aut occidatur ex inſidiis, aut apoplexiâ, catarrho, ſimilive morbo, opinione citiùs obruatur. Rurſus ad piè obeundam Mortem duplex eſt Præparatio:* Proxima *altera,* altera Remota, *hæc in eo conſiſtit, ut quis probè vivat; illa, ut ſibi de iis, quæ faciunt ad felicem ex hac vita tranſitum, tempori provideat,* Remotæ Præparationis, *hoc eſt, bene vivendi exempla, ex ipſa vita Chriſti optimi Præceptoris noſtri petenda ſunt;* Proximæ *verò, ex ejusdem ſacratiſsima Paſsione, quæ præclariſsimarum, atque plane omnium virtutum eſt Speculum, quibus Moribundum quemque ſeu Chriſtianum, ſeu religioſâ vel Sacerdotali vitæ profeſsione DEO ſanctum Hominem par eſt eniteſcere. Harum ergo rerum quas hic ſuccinctè breviterque tractamus, ſeries eſt hæc:* Parte primâ *agimus de* Præparatione *ad Mortem utramque, Lentam ſcilicet atque Violentam,* Remota. *Parte* ſecundâ *de* Proxima Præparatione, *à qua potiſsimùm, ſuum ſibi* Titulum *vendicat Libellus.* Pars tertia *continet*

*tinet Præparationem ad* Mortem Violentam: *quartâ denique proponuntur varii Virtutum* Actus, *Prolixi & breviores* Affectus, Orationes *&* Aspirationes, *quibus pietas ad mortem inclinantium excitetur, excitata alatur. Lege ista, mi Lector, & si placent, fruere: quamque tibi ipse expetis, felicem mihi mortem à Patiente Christo* JESU *deprecare.*

# PARS I.

## De remota ad felicem Mortem Præparatione.

## CAPUT I.

### *Chriſtus imitandus in Morte.*

COgitanti mihi ſæpenumero, quæ tantùm ex omnibus optima foret pro morte præparatio, venit in mentem, illam videri optimam, quæ hominem ad ità moriendum, ſicut eſt Chriſtus mortuus, diſponeret; cùm & ipſa Mors ea ſit feliciſsima, quæ morti Chriſti ſimillima. Quemadmodum enim is optimè vivere cenſendus eſt, qui ad vitam Chriſti moribus proximè accedit: ita, qui ſe morienti Chriſto plurimùm conformat, beatiſsimè optiméq; moritur. Quod innuere videntur illa verba Apocalypſeos: *Beati, qui in Domino moriuntur.* ( *Apoc. 14. 13.* ) quid enim eſt *in Domino* mori, quàm Dominum ipſum moriendo imitari? Et verò non tantùm *omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio*, paſsio ejusdem & mors etiam in exemplum nobis & imitationem proponitur, ut ſanctè vivere morique valeamus. Centurio ille cognitâ Chriſti morte, & videns, quia *ſic* clamans exſpirâſset: *Verè*, inquiebat, *hic homo Filius Dei erat.* ( *Matth. 27. 54.* ) Non illi certè ſimplex

ſimplex Chriſti morientis clamor hanc confeſsionem expreſsit, cùm commune ferè ſit morientibus in lethales clamores, in ſingultus, in gemitus erumpere: ſed quia vidit *ſic* clamantem, *ſic* in ſummis doloribus conſtantem, *ſic* inter tot, tantásque blaſphemias æquanimiter perſeverantem, *ſic* pro inimicis deprecantem; ſtatuit, qui *ſic* moreretur, non jam hominem ſolùm, ſed & DEI Filium eſſe oportere: ut intelligamus, nos quoq; pro chariſsimis filiis á DEO tum demum agnitum iri, ſi *ſic*, quemadmodum Chriſtus, eâdem nempe animi conſtantiâ, patientiâ, fortitudine mortui fuerimus. Hoc profectò eſt non tam vocis, quâm exempli contentione clamare. Quòd ſi lectis auditísve præclaris Sanctorum mortibus ſuſpiramus illud: *Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſsima mea horum ſimilia*! ( *Num*. 23. 10.) quantò erit convenientiùs, optare nos ſimili morte fungi, quam obiit omnis juſtitiæ & Author, & largitor, & exemplar Chriſtus? *Ecce, quomodo moritur Juſtus, & nemo percipit corde!* queritur ipſo Chriſti morientis die, ſepulchro ejusdem devota Sancta mater Eccleſia, Nimirum, qui Chriſtum pro ſe mortuum recogitent, ut compatiantur, ut ament, ut gratias agant, multi ſunt: at pauci, qui mortis *Modum*, ut imitentur, ſeriò perpendant. Cùm enim is plenus ſit deſolatione, amaritudine, & cruciatibus; fit, ut illud mortis genus horreamus, malimúsque mortem tranquillam & quietam, quàm adeò duram & acerbam ſubire. Et tamen non deſinit nos Apoſtolorum Princeps admonere; ( 1. *Petri* 2. 21.) *Chriſtus*

*paſsus*

*passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* quod tametsi toto vitæ tempore præstari oporteat: sub mortem tamen maximè locus est æmulandi præclaras Domini Patientis virtutes, & cruentis illius vestigiis insistendi; atq; ad illius morum regulam, id quoque, quod est vitæ extremum, exigendi. Nam, *si* (*ex Tertulliani Sententia de Patient. c. 3.*) *probos quosq; servos & bonæ mentis, pro ingenio Dominico conversari videmus*; hoc est ad Dominorum ingenium se fingere, in eorum mores & instituta transire: *quantò magis nos secundùm Dominum moratos esse oportet?* iisdem scilicet cum Domino JESU moribus esse, ipsius sensa, indolem, affectúsq; induere? Videtur hæc Christi pro nobis Passi imitatio altè & in animum & in mores illapsa P. Roderico Alvarez, S. J. Sacerdoti, cujus inter acutos dolores hæc erat oratio: *Malo hos dolores pati, quàm esse Angelus, quàm Archangelus, quàm Seraphim, His enim Christum imitor; & dum patior, facio id, quod illi non possunt.* (*Nadas. Pret. Occup. c. 20. n. 1.*) Ergo, & Tu mi bone Lector, *aspicies* identidem *in Authorem fidei & Consummatorem JESUM*, (*Hebr. 12. v. 2.*) & in absolutissimum bonæ mortis exemplum eundem assumes, ut dicere aliquando liceat: *bonum certamen certavi, cursum consummavi.* (*2. Tim. 4. v. 7.*) *Vita tua* (Christus Crucifixus) *erit quasi pendens* ante te: (*Deut. 28. 66.*) ut more Pictorum, in Exemplar illud, quod tibi in Monte Calvariæ monstr tur oculos mentis conjiciens, ultimam vitæ lineam rectè feliciterq; trahas.

## Caput II.

## *Volentes Christum imitari in morte, priùs imitentur in vita.*

VErùm enimverò frustra ad imitationem Christi aspiramus in morte, nisi imitari assvescamus in vita. Mors est Echo vitæ: qualis hæc præcessit, talis illa sequitur. Sanctorum Patrum unanimis vox est: non posse bene mori, qui malè vixerit; neq; malè mori, qui vixerit bene. Et, unicum solummodo Latronem in omnibus sacræ scripturæ paginis se repperisse, qui vitam malam bona morte clauserit, testatur S. Bernardus. (*Serm. 38. in parv.*) Quare insipiens est prorsus ista cogitatio: Invalescente morbo, vitam emendabo: morte ingruente, Morientem imitabor Christum: tum ad Deum seriò convertar, cùm de vita seriò agi advertero: nunc, quod libet, liceat: seria in crastinum. Ah aliter longè ibi evenit. Ægrotâsti, quisquis ista cogitas, aliquando? Memineris quæso, quàm omnia tunc visa sint molesta. non sapit tum oratio, pœnitentiæ vix venit in mentem. non est expeditus animus ad exercendum munus suum, torpet ad exerendas virtutes, ad eliciendos virtutum actus languet. totus homo in eo est, ut convalescat, & cum corpore infirmatur plerumq; & virtus. *Multa bona potes operari, dum sanus es: sed infirmatus, nescio quid poteris.* ait Thomas Kempensis libri primi de Imitatione Christi capite 23. quod caput operæ pretium esset quàm

quàm sæpissimè legere, & attentissimè ruminare. Sicut autem quæ interdiu egimus, in somno nobis recurrunt: ità quæ in vita sunt frequentata à nobis, sub mortem resumimus. Speculi nempe vicem subit moriendi conditio. qualem ei faciem opponis, talem repræsentat: si Helenæ, Helenam; si Thersitæ, Thersiten tibi respondebit Quid est, quòd alios lethali morbo stratos, mites, taciturnos, orationi assiduè intentos; contrà verò alios impatientes, querulos, iracundos, Dei suíq; vix memores videamus? quia priorum vitam mansuetudo, patientia, orandi studium; istorum mores iracundia, impatientia, rerum divinarum neglectus imbuerunt. Etiam ubi mens aberrat, suúmq; munus Phantasiæ committit, quæ usu habitúq; trita sunt, moribundis recurrunt. Pater noster *Vincentius Carafa*, cùm sub vitæ finem mente exerraret, de rebus divinis & ad regimen spectantibus loquitur: (*Vit. l. 1. c. 12. p. 210.*) Patrum quispiam Soc. JESU, de lecto, tanquam de sacro tribunali, cruces manu, formulam à peccatis solvendi ore ingeminat; quippe ille actu societati præerat, ac de Deo, dum viveret, semper loquebatur; hic in audiendis Pœnitentium confessionibus assiduus, nihil solemnius habuit, quàm eosdem peccatis absolvere. Contrà verò faber ille aurifex porrectum sibi ad pia oscula Christi in cruce fixi sigillum intuitus, rogat *quanti foret talis metalli uncia*? quid ita? quoniam hæc illi, dum viveret, erat palmaris occupatio, pondus auro pretiúmq; ponere. Usq; adeò quàm vulgare, tam verum est illud: *Qualis vita, finis ita.* Etiam in

morte, quæ in vita diligebamus, placent. Quare quisquis imitari deſideras JESUM morientem, imitare viventem: indidémq; ſume exempla vivendi, unde moriendi. qualem orſus es telam texere in vita, talem videbis abſolutam in morte. Religioſæ mortis, ſancta vita parens eſt.

## Caput III.

## *Quidnam in vita Chriſti imitandum; & primùm quidem animi nitor.*

FRuſtrà ſum, ſi Chriſtum, Candorem lucis æternæ, Speculum ſinè macula, *qui peccatum non fecit*, (*1. Petr. 22.*) nec peccare potuit, à peccato vindicem. *Tollere peccatum mundi*, hujus *Agni Immaculati* erat, (*Joa. 1. 29.*) non admittere; deſtruere, non adſciſcere: ut meritò admiretur Gregorius Chriſtum ex divinitate peccare impotentem, ex ratione oſtendere ſe peccati expertem, dum ait: *quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joa. 8.*) Do verba Doctoris: *Penſate fratres chariſsimi, manſvetudinem DEI. Relaxare peccata venerat, & dicebat*: Quis ex vobis arguet me de peccato? *Non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores juſtificare.* (*Hom. 18. in Evan.*) Itaq; hoc agendum potiùs, ut qui felicem nobis ex hac vita exitum paramus, nitori conſcientiæ, munditiæ cordis, vitæ inculpatæ ità, ſtudeamus,

deamus, ut amore DEI timoréque instructi peccare non posśimus per gratiam, quemadmodum Christus per divinam naturam, illud castisśimi Josephi apophthegma usurpare parati: *Quomodo poßum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* (*Gen. 39. 9.*) Sanè *horror*, *& fuga* cujuscunq; peccati tam est necessaria ad bonam mortem, quàm ad æternam salutem; cujus perdendæ manifestum discrimen toties adimus, quoties delinquimus graviter. Peccatum unum & solum est, quod mortem reddit terribilem, quod incutit horrorem divini judicii, & metum inferni. *Mors peccatorum peßima*; (*Ps. 33.*) *Sanctorum*, qui se videlicet à peccatis abstinent, *pretiosa.* (*Ps. 115.*) Equidem nunquam satis admirari queo quorundam hominum vesaniam, qui cùm strenuè indies peccent; fusâ quotidie pro felici morte aliquâ precatiunculâ, putant sibi eo pacto bonam mortem jam oppignoratam. O cœci! ô *curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes! quousq; diligitis mendacium*, & vobismet ipsi imponitis? Peccatum est, peccatum, quod mortem ita facit infelicem & miseram, ut, nisi lacrymis & pœnitentiâ deleatur, certisśimum aditum ad æternam infelicitatem aperiat. Et, sicut nihil moritur, quod non antè vixerit: ita nemo bene moritur, qui non bene vixerit, qui in vita mala perseverat. Cæsarius refert lib. 7. c. 59. Latronum Ducem homicidiis prædisq; infamem aliquando captum, mortisq; damnatum fuisse. In quo tamen ætatis juvenilis florem miserati Judices, cùm eum vitâ donatum vellent tantummodo multare exilio, ille gratiam oblatam re-

ſpuens, ultro fatali gladio cervices ſubjecit, tam ſanctâ & felici morte defunctus, ut cœleſtibus etiam luminibus nocte comparentibus honeſtatus, quaſi ſanctus, ab Epiſcopo & Clero cœleſti viſo admonitis, honorificè fuerit ſepultus. Sed unde illi tam rara felicitas? à fuga peccati. In Monachum quondam illac iter agentem inciderat, â quo interrogatus: *quid à puero actitâßet, & quæ fuißet hactenus ejus vita*; reſpondit: *Peßima: quando puer eram, cum omnibus coætaneis meis rixabar; factus adoleſcens furtis operam dedi: deinde in virum proficiens, latrocinia exercui, in quibus adeo profeci, ut hodie ſim Magiſter omnium latronum.* Tum ab eodem Monacho perſuaſus, ut omni die Sabbati Magnæ Matris honori jejunans ab omni flagitio abſtineret; fecit, & ſuæ præmium abſtinentiæ, quale modò vidimus, recepit. Nullo nempe pignore ſic aſsecuratur felicitas mortis, ut vitâ immaculatâ. Vis, Moriture, eſse in morte, & à morte beatus? Eſto immaculatus. *Beati immaculati!* (*Pſal. 118.*) quam Pſaltæ vocem explicans Auguſtinus: (*in hunc pſal. conc. 1.*) *Scio*, inquit, *quid velis: beatitudinem quæris. Si ergo vis eße beatus, eſto immaculatus. Illud enim omnes, hoc pauci volunt: Sinè quo non pervenitur ad illud; quod omnes volunt.*

Ergo, Moriture, *quaſi à faciè colubri fuge peccata*; (*Eccli. 21. v. 2.*) nihilóq; ſeciùs vel ad primam dæmonis ſuggeſtionem, vel ad occaſionem peccandi exhorreſce,

*Impro-*

*Improvisum aspris veluti qui sentibus angvem*
*Pressit humi nitens, trepidúsq; repentè refugit,*
*Attollentem iras, & cœrula colla tumentem.*

Utinam tuus, meúsque Lector, utinam omnium nostrûm animi tantâ puritate niterent, quantâ *Vincentii Carafæ*, Generalis nostri, ut quovis in loco, tempore, occupatione, negotio mortem, si ingrueret prompti simus excipere! Relaxabat is aliquando à prandio animum de more, cùm, injectâ de nostro quopiam brevi Sacramentis ad mortem piè obeundam muniendo, mentione, rogatus à collocutore; quid demum acturus esset, si extemplo ipsi moriendum? *Ego verò,* ingenuè asseverantérque dixit, *non aliud agerem, quàm quod in præsentia ago: id est, animo, relaxando vacarem.* Ain' tu, Vincenti, non vasa colligeres? non confessarium inclamares? non oleo imbui moribundorum, non Eucharistiæ viatico muniri expeteres? *Non inquam, aliud, quàm hoc ipsum agerem*, subjecit denuo, admirante Socio, Vincentius. (*Vit. l. 2. c. 10. p. 409.*) Unde hæc confidentia? ex cordis munditie. Memoravit quondam, non meminisse violatæ à se sponte ullius legis Societatis: non modò non admissæ culpæ; &, juniorem se duas noxas destinatione voluntatis admisisse, quas jam provectior maximè omnium defleat. Priorem, quòd studiis ob invaletudinem intermissis, cum Româ Neapolim rediret, solâ animi causâ, equum, quo vehebatur, ad celeriorem gradum incitârit: posteriorem, quòd jnnuâ cellæ Patris cujusdam amici sui pulsatâ, subtraxerit se illico, ut egressi admirantísq;

 habi-

habitum, nemine invento, ipse ex abdito observaret. (*ibid. p. 399.*) Grandia nempe crimina! quibus grandiora si nos non redarguunt, moriture Lector, moriamur libenter, tametsi ludentes, animóque remittendo vacantes mors conveniat. Ego verò repeto, iterúmq; moneo: *tanquàm à facie colubri fuge peccata.* (*Eccli. 21.*) Fugies autem, non dubita, si semper timueris illum, qui postquam in morte occiderit corpus, potest continuò animam perdere in gehennam. Veritatis certissimæ axioma est, & quidem in animum altissimè demittendum axioma: *Si sum in peccato lethali, sicut nullum momentum est, quo non possum mori, ità nullum momentum est, quo non possum damnari.* *Timor Domini expellit peccatum.* (*Eccli. l. 17.*) Et: *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* (*ibid. p. v. 13.*) *Beatus homo, qui semper est pavidus.* (*Prov. 28. 14.*) Quod S. Bernardus fide interpositâ hunc in modum confirmat: *In veritate didici*, inquit, *nihil ita efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus. Time, cùm arriserit gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuò revertetur. Gratia cùm adest, time, ne non dignè opereris ex ea, nam hoc monet Apostolus:* videte, nè in vacuum gratiam Dei accipiatis. *Si recesserit, multò magis timendum*

*est : quia ubi deficit gratia, deficis tu. time ergo subtractâ gratiâ, tanquam mox casurus. Jam, si gratia repropitiata redierit, multò ampliùs tunc timendum, ne fortè contingat recidivam pati.* Hæc Abbas mellifluus. (*Serm. 54. in Cant.*)

# CAPUT IV.

## *Imitandum in Christo studium bene operandi.*

QUi vel se remotè ad piè moriendum accingit, non modò malum fugere, sed & bonum facere (& quidem bene navitérq; ) studeat, oportet. *Sint lumbi vestri præcincti*, monet Dominus (*Luc. 12.*) Lumbos restringere, Gregorio est, *carnis luxuriam per continentiam coarctare*; (*hom. 13. in Evan.*) Augustino *ab omnibus illicitis concupiscentiis abstinere*; (*ser. 30. de Verb. Dom.*) Fulgentio, *quiescere*, quod Isaias monet, *perversè agere*, (*Isa. 1. 16.*) *Sed quia* ad assecurandam felicitatem mortis *minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat & bonis operibus insudare, protinus additur :* Et lucernæ in manibus vestris. *Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus.* Ita Gregorius. Ubi vigilanter observandum, non *lucernas* simpliciter, sed *ardentes lucernas* præcipi tenendas, quæq; ex ardoris magnitudine lucem insignem evibrent. quo modo loquendi sat clarè innuitur, opera nostra non utcunq; & obiter,

ſed ferventer, & totâ mentis viriúmq; applicatione, quæ in exemplum traducta poſsint alios accendere, eſse peragenda. id quod luculentiùs expreſsit Magnus Auguſtinus: *Abſtinere nos debemus*, inquit, *ab omnibus illicitis concupiſcentiis, hoc eſt lumbos accinctos habere debemus: & fervere, & lucere in operibus bonis, hoc eſt, lucernas ardentes in manibus habere.* (*Serm. 30. de Verb.*) Eſt enimverò Fervor iſte in DEI obſequio Lampas quædam ardens, quâ inſtructi Sponſo animarum noſtrarum JESU Chriſto in morte fidenter occurrimus. Tepidi, ignavi, & quibus omnia perfunctoriè de manibus effluunt, cum pudore, fatuiſq; virginibus dicere cogentur: *Lampades noſtræ extinguuntur*; (*Matth. 25. 8.*) Sed cogentur audire viciſsim: *neſcio vos.* Ipſe illis cereus luſtralis hinc migrantibus porrigi ſolitus fuliginem potiùs pudoris, quàm ſpei lucem exeret, quibus, dum viverent, lampades ac lucernæ operum refrixêre. atqui ex adverſo, quibus ſolatiorum æſtibus incaleſcent, qui non tam in teſseram clypei, quàm omnium actionum amuſsim aſsumpſerant illud Imperatoris Symbolum: *nihil obiter?* *Benedictus DEUS!* (dicebat ille apud Rodericium (*Part. 1. tr. 2. c. 5.*) confeſsionis, morte inſtante, admonitus) *Benedictus Deus! jam triginta & amplius anni ſunt, ex quo mea quotidie ſic peccata ſum confeſſus, ac ſi ſtatim* è vita mihi diſcedendum eſset. Sic nimirum confeſsio, ſic ſacra communio, ſic oratio, ſic literaria occupatio, ſic omnis animi corporiſque labor, ſic peragenda

omnia,

omnia, ut si continuò opere peracto essemus morituri. Pro Regula omnis actionis habeatur illud elogium à turba Christo datum: *Bene omnia.* (*Marc.* 7. 37.) sed & tibi bene sit simplex equidem, at cara Deo plebecula, quæ tam propè à Veritate, quàm longè à Pharisaico supercilio abfuisti, dum Christum omnis boni authorem bene fecisse omnia palàm es professa. Quid enim ab illa perfectionis Idea, nisi absolutum; quid nisi omni ex parte sanctum ab illo sanctitatis fonte profluere potuit? Hanc Ideam factis exprimere, huic fonti se prorsum immergere, est bonam mortem anticipatò haurire. Hoc solidum in morte solatium, hæc DEI ipsius Creatoris nostri imitatio: *bene fecisse omnia.* Quare S. Thomas opusc. 62. de divinis moribus, § *Deus omnia bene fecit*, cùm ex ratione ipsa demonstrâsset *DEI perfecta esse opera*, subjunxit: *Similiter nos diligentiam apponere debemus, ut singula opera nostra, quantùm unquam meliùs possumus, faciamus; ex omni virtute* D. N. I. *Christi, & cum omni desiderio triumphantis & militantis Ecclesiæ, & sub nomine Creatoris: quasi tota salus nostra & omnis laus DEI, & universitatis utilitas ex uno opere dependeat: quasi nunquam ad id opus reversuri, neq; aliud postmodum facturi.* Hæc Doctor Angelicus; suo certè digna ingenio, digna quæ non cursim, sed meditatò legantur, multò autem dignissima, ut in nostras actiones transeant atq; imbibantur. Quid enim, oro, juvat, diu juxta ac segniter vivere? *Plus prodest semel strenuè laborâsse, quàm millies remisse,* scribit S. N. Ignatius ad suos Conimbricam 3. Mar-

tii

tii 1545. Et, si Sanctæ Scholasticæ, uti par est, credimus: *dies unus bene impensus in obsequio DEI plus valet, quàm millio annorum ad obtinendum universum mundum.* Quæ cum ita habeant, age Moriture, (*Eccli. 33.*) *in omnibus operibus nostris præcellentes simus.* Georgius Gilbertus, Vir zelo divino plenus deplorantibus suam mortem intempestivam ceteris, *Mihi*, inquiebat, *dolendum, mihi lacrymandum est, qui nullâ re gestâ inutilis morior.* (*Hist. Societ. p. 5. l. 3. pag. 112,*) Ità Vir omni virtutum genere insignis, & teste ipso summo Pont. Gregorio XIII. Ecclesiæ Anglicanæ magnum præsidium. Nos, ne idem sub mortem, non demissione animi, sed pudore urgente fateri cogamur, in tempore provideamus. Non pudeat vel ex Novitio (sed veterano virtutum) discere, quid ad vitam faciat, quid ad mortem sanctam. *Joannes Blecsemau* is erit, in quo ad extrema deducto, cùm insignium exempla virtutum venerarentur omnes, jussit Rector, ut præsentibus Sociis aliquod pro suprema allocutione mnemosynon relinqueret; collegit, quas potuit, vires ad obediendum, & dixit: *Agere, quod agis, accuratè, perfectéq;, res una mihi videtur esse, quá & sanctè vivimus, & securè morimur.* (*Nadas. Pret. Occup. morien. cap. 39. pag. 300.*) Optimè, & ad mentem nostri Theodidacti appositè, ita submonentis: *Quàm felix & prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte. Dabit namq; magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, fervens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ,*

*labor*

*labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, & supportatio cujuslibet adversitatis pro amore Christi.* Sic *Thomas à Kempis lib. 1. c. 23. n. 4.* Habemus singularis hujus in morte fiduciæ ex studio accuratè peragendi omnia profectæ luculentum exemplum in Fratre Societatis nostræ Joanne de Soto, de quo hæc Nierembergius Vit. Div. c. 22. Vestiario Collegii multis annis præfuerat sartor: demum gravi, &, ut prædixerat, mortifero ex morbo decumbens, mortiq; jam vicinus, acum poposcit, quam in parietis alicujus rimam inseruerat. Hîc præsentes aberrare animum hominis opinabantur: quibus ille, Non deliro, inquit, mentisque, & animi, DEI beneficio, sanus sum; quare amore ejusdem Majestatis, dari mihi velim, quod peto. Acceptam itaq; acum in manus sumpsit, dixitque: Hæc mihi cœli clavis erit, hâc paradisi portas reserabo, cùmq; hac mori cupio, & Christum invisere, Redemptorem meum. Nihil enim hac acu paravi, nisi solius amore Numinis; neq; filum eâdem trajeci unquam, præterquam ut illi placerem, non aliter, quàm si ipsummet Christum vestire debuissem. Dixit, & sanctè obiit. Usque adeò verum est Novitii suprà laudati apophthegma: *Agere, quod agimus, perfectè, & accuratè, rem esse unam, quâ & bene vivimus, & sanctè morimur.*

CAPUT V.

# CAPUT V.

## *In Christo imitanda Abnegatio sui.*

VUlgò nota, paucis in praxim inducta Nostri Salvatoris est admonitio: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat. crucem suam, & sequatur me.* (*Matth. 16.*) Perinde quasi dicat: Qui mihi vult vivere, qui beneficio mortis optatissimæ ad gloriam meam pervenire, abneget seipsum, sibi moriatur, méque imitetur. An verò se ipse abnegavit Christus? non abnegavit modò, sed planè *exinanivit.* Non poterat ille immoderatis affectibus mori, quia caruit, ad divinæ sanctitatis ordinem temperata erant apud illum omnia: sed quæ nos indomitis appetitionibus consectamur, voluptates, commoda, honores, divitias, nostrî æstimationem, etsi sine noxa admittere potuit, rejecit; quæ nos refugimus, dolores, contemptum, rerum inopiam, ultro arripuit. Nihil erat in rebus humanis vel tam delectabile, quod nostrâ causâ non respuerit; vel tam despicabile, quod non sit amplexus. Quibus quidem in rebus si servuli Dominum, si Magistrum discipuli sequeremur, quàm fortunatum nobis ex hac vita exitum curaremus! *O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo!* (*Kemp. l. 3. c. 53.*) Facilè namque relinquet in morte omnia, qui antea contempsit omnia: & qui sibi perfectè est mortuus, non difficulter seculo morietur. Miles primo in

prælio

prælio mortem expavescit: ubi conflixit sæpiùs, nullo mortis metu tangitur: similiter & nos per mortificationem mori discimus. Quocirca, Moriture, quod vel gentilis Philosophus pariter ac Orator monet, *consvescamus mori.* (*Cic. Tusc. qq. l. 1.*) Hæc nostra sit prima potissimáq; in vita exercitatio: mori assvescere, vincere nos ipsos, abnegare, &, ut Ascetæ loquuntur, exire omnino ex nobismet ipsis, cupiditates coërcere omnes, amorem proprium & sensum expugnare, voluntatem nostram & judicium in omnibus Deo subjicere. Vicies quater interdiu hoc genere mortis & moriebatur ipse S. Franciscus Borgia, & mori unumquemque Religiosum debere asserebat. quod à nobis si factitaretur, quàm læti, quam hilares hinc emigraremus! *Quam beatum est vivere quotidie moriendo* (clamat ab Oriente ultimo alter Franciscus Indiarum Apostolus) *Quàm beatum est vivere quotidie moriendo, nostrásq; frangendo voluntates, ut quæramus, non quæ nostra sunt, sed quæ JESU Christi!* (*Epist. 1.*) Beatum revera! Sic enim qui moritur, veluti granum frumenti mortuum, in æternæ felicitatis gloriam excrescit à morte, fructúmq; reportat cœlo mundóque lætabilem. Siqua pulchra est, siqua morum informatrix tessera, pulcherrima certè illa Apostolorum Principis: *quotidie morior.* (*1. Cor. 15.*)

# CAPUT VI.

## *Imitandus in Christo Amor DEI.*

POrrò ex hac mortificatione, ex hac continua carnem inter & ſpiritum lucta, tanquam ex colliſu ſilicis & ferri: erumpet puriſsimus ignis *divini amoris*, quo inflammatus Morituri animus cupiet diſsolvi & eſse cum Chriſto. Atque utinam *accendat in nobis Dominus* JESUS *ignem hunc ſui amoris, & flammam æternæ charitatis! Amoris*, inquam, *ſui*, quo ipſe in Patrem, nósq; omnes flagravit. Nam, quòd hanc noſtram carnem tam benignè aſsumere, quòd tàm obſcurè naſci, tam meticulosè fugere, tam occultè & tam diu latere, tam vili pendi, tam ſarcaſticè illudi, tam atroci infamíque morte exturbari è vivis voluerit, quid niſi Amor fecit, quo hinc Patris honorem, inde noſtram ſalutem aſsereret, nobíſque exempli facem, ut DEum, ut Proximum amare ſciremus, præferret? Simili amore cujus vita imbuitur & mors dulcoratur. Non eſt amantibus DEUM mors in tædio, eſt in deſiderio. Qui ſic ardent, in cineres, in pulveres, in favillas redigi mortis beneficio exoptant. *Fortis eſt ut mors dilectio*: (*Cant. 8. v. 6.*) ſeparat animam à corpore, ut DEO jungat. Inter Amantem & DEUM ſola corporis humani cortina interjacet: hanc ubi mors recluſit, Deum amanti dedit. Quidni igitur amamus, Moriture, Deum, ex toto corde, quia Bonus eſt: ex tota mente, quia ſapiens eſt: ex tota forti-

fortitudine, quia Potens est: ex omnibus viribus, quia EST, qui EST? Quidni amamus ex toto corde illum appretiando; ex tota anima, illi nos consecrando; ex tota fortitudine pro illo patiendo; ex omnibus Viribus illi serviendo? Inscribamus omnibus cogitationibus, verbis, & operibus, & siquæ unquam acciderint adversis rebus: *Amo, amo, amo.* Hoc animus assiduè cogitet, hoc cor desideret, hoc lingua loquatur, hoc manus operetur, hoc calamus scribat, hoc omnia ossa, omnia quæ intra nos sunt, dicant: *Amo, quia amo; & amo, ut amem.* Amemus Deum, qui charitate perpetuâ dilexit nos; qui cùm non essemus, fecit nos, cùm periissemus, reparavit nos; cùm defecerimus, recipiet nos. Amemus DEUM qui nullam habet originem: qui uti à nemine factus est, & à nemine limitari potest, ità infinitè bonus est & perfectus; adeò ut nec intellectus noster majus aliquid cogitando sibi queat fingere, & quidquid deniq; fingat, id ad magnitudinem illius collatum, parvum sit, & nihil. (*Nierem. Vit. div. c. 17.*) DEUM illum tam admirabilem, qui cum Unus sit, est Trinus, & in Summa sua Unitate complectitur Trinitatem: miraculum miraculorum, quod per omnem æternitatem, perpetuam maximámq; movebit admirationem. DEUM, tam infinitè bonum, ut totum id quod est, Pater communicaverit Filio, & Filius ejusdem cum Patre bonitatis, dederit peccatoribus. DEUM tam bonum, ut nec punctum unum temporis cessare potuerit à communicatione sui ipsius; aliter, admirabili bonitati suæ haudquaquam satisfacturus. DEUM omnipotentem,

qui res omnes ex amore, & ex nihilo condidit. DEUM tam Sapientem, ut bene nobis faciendo errare non poſsit. DEUM tam immenſum, ut abeſse à nobis nequeat; quiq; nos, quoquò eamus, videt, quæq; petimus, exaudit. DEUM tam immutabilem, cujus pulchritudo non poteſt exoleſcere, neq; benevolentia deficere. Deum ſimplicisſimum, in quo ſine inquietudine ulla & impedimento bonum omne poſsidemus. DEUM tam juſtum & miſericordem, qui ut miſericordiam adhiberet, pepercit hominibus, proprio Filio ſuo non pepercit. DEUM æternum, qui nobis intermori non poteſt. DEUM fidelisſimum, cui etſi nos fidem datam fregerimus, promiſsiones tamen nobis factas accuratè præſtat. DEUM tam amantem noſtrî, ut miſerias infirmitatésq; noſtras tolerare ſuſtinuerit. DEUM, qui omni ei quod eſt, dat ſuum eſse; qui cœlos ſuſtentat, & per quem elementa permanent, plantæ vivunt, animalia ſentiunt, homines ratione utuntur, Angeli intelligunt. DEUM immenſum, qui nihil turbatur, neq; fatigatur faciendo omnia, curando omnia, in omnibus exiſtens. DEUM Bonum, qui in ſe concludit omne bonum, à quo oritur omne bonum, unde omnis juſtitia promanavit; unde nata eſt omnis pulchritudo; unde omnis potentia dependet; unde omnis Sapientia ſuam ducit originem, omnis dulcedo ſuum principium. DEUM, qui eſt bonum ſuper omne bonum, pulchrum ſuper omnia pulchra, juſtum ſuper omnia juſta, potens ſuper omnem potentiam, ſapiens, ſuper omnem veritatem, dulce ſuper omnem ſaporem. DEUM tam bonum, bonæq; adeò volun-

voluntatis, ut mori elegerit, quò abjectissima viveret creatura; humiliari, ne vermiculus aliquis se extolleret; homo fieri propter inimicum sibi & divinitati suæ insidiantem hominem; seipsum deniq; relinquere alimoniam & sustentationem vitæ ejus, qui mille mortes merebatur; & humano claudi corpore, quem non capiunt cœli cœlorum. Diligamus DEUM tam nostrî amantem; *qui unumquemq; hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum.* (*Chrysost. in c. 2. ep. ad Cor.*) Diligamus DEUM, tam bonum: *qui singulis Angelis sanctísq; animabus in tantum se subjicit, quasi sit servus emptitius singulorum, quilibet verò ipsorum sit Deus suus.* (*S. Thom. opusc. 63.*) Diligamus DEUM, *qui ita quærit hominem, quasi tota salus divina in ipsius inventione penderet, & quasi sine ipso beatus esse non posset.* (*Idem opusc. 13.*)

## CAPUT VII.

## *Imitandus in Christo Amor Proximi.*

Est autem Amoris DEI lapis quidam Lydius *dilectio Proximi.* Hanc si, Moriture, non habes, illum te habere negas. Vult amari DEUS non tantùm in se, sed & in Proximo. Quomodo non amabis hominem, quando DEUS factus est Homo? Quomodo non amabis hominem, pro quo tanta passus est DEUS-Homo? Passus est? Pati rursus, si necesse foret, toties paratus

eſt, quoties foret neceſse. Nullius mortalium anima minoris eſt Chriſto, qvàm aut Brigittæ, aut Gertrudis fuerit. Et tamen priorem Chriſtus ita alloquitur: *Tu autem filia mea, quam elegi mihi, & cum qua ſpiritu meo loquor, dilige me toto corde: quia ego, qui creavi te, nulli meo membro peperci ad Supplicium pro te. Et adhuc* ( notet iſta Lector ) *ſic charitate diligo animam tuam, ut antequam eâ carerem, adhuc iterum, ſi poſsibile eſset, pro ea cruci affigerer.* ( *Revel. l. 1. c. 1.* ) Sanctæ verò Gertrudi ita idem dixit: *Ecce quomodo causâ tui amoris pependi in cruce nudus, & deſpectus, & toto corpore vulneratus, nec non per ſingula membra diſtentus. Si tamen ſaluti tuæ expediret, & aliter ſalvari non poſses, jam pro te ſola vellem omnia tolerare, quæ unquam æſtimare poſses, me toleráſse pro toto mundo.* ( *Inſin. l. 3. c. 41.* ) I nunc homuncio, neq; amorem Proximo, cujus amori DEI Filius vitam cùm profuderit, paratus ſit alias mille, ſi quidem oporteret, prodigere. Age verò, niſi belluas velis ingratitudine ſuperare, quid faceres DEO, aut quid velles facere, ſi, quæ pro te ille vel tulit, vel fecit, velles rependere? Velles illi procul dubio omne bonum. Atqui ille bonorum tuorum non eget, quippe qui eſt Primum, Summum, Unicum & Omne Bonum. quid ergo? Adverte, quid dicat Spiritu DEI plenus, Magiſter & Scientiarum & virtutum Avila: *Quamvis JESUS pro omnibus beneficiis, quæ in hominem confert, nullam pro ſe vicisſim gratiam ſpectet, exigátve, ut qui nullius eget, donáq; ſua puro ex affectu & bo-*

*nitate, proprii commodi studiis prorsus vacuâ largitur: eam nihilominus reddi vult Proximo, cùm videbitur honore, benevolentiâ, ac subsidio indigere?* (*Super Audi filia c. 96.*) Quod si de modo quæras, quo te facillime posśis ad diligendum Proximum excitare, suggeret illum idem P. Joannes Avila sequentibus verbis: *Attentis animi oculis intuere Filium DEI; & cogita quali cum misericordia propter genus humanum factus sit homo; quali studio & solicitudine in ejus Salutem incubuerit; quali exuberantiâ amoris pariter & Doloris subierit in cruce mortem pro illo: & sicut ex intuitu tui ipsius didicisti proximum tuum deinde humanis oculis intueri; ita ex aspectu JESU Christi, disces alios aspicere oculis Christianis, hoc est eâdem ratione, quà Christus illos aspicit.* (*Ibid. c. 95.*) Hæc ille. En, ut admonitu Viri prudentisśimi, exemplum Christi intuentibus facilè sit ad amorem Proximi sese irritare. Sed quid hic amor ad felicem mortem? Longè plurimum. Nam, quis explicet, quàm sit uber solatiorum vena: Nunquam in vita Proximum judicio, linguâ, oculo, opere, pravo exemplo læsisse; aut si læsisse contigit, injuriam prout par erat, reparâsse? Ridebat moribundus ille, religiosæ vitæ alioqui non observantisśimus. Unde verò illi lætitiæ seges? quod neminem unquam temerè judicâsset. *Non judicavi*, ajebat, *non judicabor.* Vitalis illi mors est, cujus in corde caritas est. Hoc docet Augustinus: *Videat*, inquiens, *unusquisq; ad cor suum; si ibi invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transiit à morte ad vitam.* (*Tract. 5. in Epist. S. Joan.*)

CAPUT

# CAPUT VIII.

## *Ad felicem mortem juvat, exemplo Christi, sæpe mortis meminisse.*

QUisquis ad mortem sanctè obeundam se comparat, memoriam illius sæpe in mentem revocet. Ad quod fructuosè præstandum non sufficit cogitare: se aliquando certè moriturum; sed sic adfuturæ mortis meminisse oportet, ut illius felicitas à DEO magnâ contentione petatur, ut conscientiæ rectè consulatur, ut ad pœnitentiam animus compungatur, ut desiderium cœlestis patriæ in nobis excitetur, ut, quod alicubi svadet S. N. Ignatius, in dubiis perplexisq; rebus ab ea consilium postuletur, ut deniq; illa quovis loco & tempore à nobis expectetur; ex mente S. Bernardi sapienter svadentis: *Quoniam te mors ubiq; expectat, tu, si sapiens fueris, ubiq; eam expectabis.* (*In meditat. c. 3.*) Dixeram superiùs Puritatem animi & Immunitatem à peccato ante omnia necessariam esse uti ad salutem, sic ad bonæ mortis Præparationem; hanc verò puritatem, quid tamen efficaciter procurat, quàm seria & circumspecta mortis recordatio? Diserta Veritatis vox est: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* (*Eccli. 7. 40.*) *Cujus Sententiæ consideratio* (Augustinum audis) *destructio est superbiæ, extinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis & jactantiæ, constructio disciplinæ,*

*ciplinæ, perfectio sanctimoniæ, præparatio salutis æternæ.* (*Aug. Spec. Peccat. c. 1.*) Suffragatur Augustino Gregorius: *Qui considerat* (inquit) *qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione: nil, quod transeat, appetit, & cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit. Perfecta enim vita est mortis meditatio, quam dum Justi sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* (*Lib. 13. Moral. c. 10.*) Innumeri sunt, qui horum veritatem dictorum experientiâ comprobârunt. Principem Husfæum Jobum testem allego. Innocentiam ille suam hac tessera prodit: *Non peccavi.* (*Job. 17. v. 2.*) Mirum! tantis divitiis, honoribus, felicitate prolium, gloria affluentem potuisse vitam servare peccati immunem; *non peccavi.* At multò mirabilius de Principe mendicum, de divite pauperem, de glorioso factum despicabilem; liberis, sanitate, opibus privatum, ulcere percussum, à dæmone, amicis, uxore vexatum, exturbatum è domo, ejectum in sterquilinium, desertum ab omnibus; tamen in innocentiæ gradu perstitisse; *Non peccavi.* Unde illi tam incredibilis constantia? ex frequenti memoria mortis, quam sibi asiduè hæsisse in animo cùm prodidisset illis verbis: *Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum*; subjecit: *Non peccavi.* (Job. 17. v. 1.) Observavit hanc rationem acutè suprà laudatus S. Doctor, suámq; observationem hoc calamo protulit. *Unde & Beatus Job, quia dies suos breviari considerat, & solum sibi superesse sepulchrum pensat, aptè subjungit: Non peccavi.* Sunt & aliæ complures recogitatæ mortis uti-

litates, quas, ne longum faciam, consultò prætereo, quòd illas malim experiendo potiùs, quàm legendo vel audiendo disci; nobis satìs esto, quòd hac quoque recogitatione Christum imitemur: qui à primo articulo suæ conceptionis in Passionem & mortem sibi à Patre decretam, continuè mentem defixam habebat; voluitq; ejusdem etiam sæpius disertè meminisse; ut videre licet apud S. Matthæum cap. 12. vers. 39. S. Lucam c. 12. v. 50. præcipuè verò apud S. Joannem cap. 2. 3. 10. 12. 18. restat, ut quibus ex rebus nominatim memoria mortis excitari possit, suggeramus.

## Caput IX.

### *Quibus occasionibus memoria mortis elici possit.*

Solertis est hominis ex obviis quibusque rebus scire proficere. S. Parenti nostro nulla fuit tam vilis creatura, non musca, non vermiculus, non plantula, non flosculus, cujus ille aspectu non illico ad laudandam Creatoris Potentiam, Sapientiam, Bonitatem assurgeret. S. Franciscus Borgia quidquid conspiceret, in sui contemptùm pudorémq; trahebat. Memoriam mortis ut sibi facillimè refricent, varii excogitant varia. Calvariam ob oculos ponere, multis est in usu. Defunctorum aspectu, cùm licet, libenter attinentur alii. Nonnulli ossaria adeunt, cœmeteriáq;, & in illis mortuorum reliquiis legunt expressam

expressam ad vivum rerum omnium vanitatem. Ægyptii cadaver ligneum affabrè laboratum inferebant conviviis Quorum Rex sapientissimus ille Ptolomæus Philadelphus medias inter epulas positam ad latus mortualem calvariam contemplari solitus. Philippus Macedo quotidie sibi per familiarem ephebum summo manè jussit recantari illam parœmiam: *Philippe, memento te hominem esse.* Severus Imperator, & illius exemplo Maximilianus I. ex Austriacis Sarcophagum domi asservabant; Carolus V. præterea secum, quaqua veheretur, vehebat. Laudo, probóq; omnia: ego tamen, ut insistam consilio, quo Lectori meo auctor esse cœpi, ut, si sanctam mortem adornare velit, assiduè mentis corporisque oculis Christum Patientem Morientémq; intueretur, putarem utilissimam fore ejusmodi consvetudinem, si perspectâ aliunde, solerti consideratione, Christi pro nobis Passi immensâ caritate, ejusdem Crucifixi Imaginem oculis cùm licet, animo, cùm libet, objiciens, modò suspiret illud: *Moriatur anima mea morte justi hujus!* modò cum Ecclesia: *Per mortem tuam, A subitanea & improvisa morte, A morte perpetua Libera nos Domine!* Vel illud piorum *Salve Crux Digna super omnia ligna benigna, Tu me consigna, moriar ne morte malignâ.* Vel illud Bernardi: *Horâ mortis meus flatus Intret JESU tuum latus. In hac fossa me reconde, Ibi meum cor absconde.* Vel, si vacaverit, illam Religiosi preculam: *Domine JESU Christe propter illam amaritudinem* &c. Vide pag.

Ita nimirum mortis nostræ recordatio, quia in pium affectum, morúmq; ( ut antea monui ) emendationem transibit, Theologica erit, non Stoica; & obsecundabitur piissimo S. Abbatis Claræ-Vallis monito: *Nulla vel brevis mora subrepat, in qua non habeas memoriam Filii DEI pro tua miseria, & sua Misericordia Crucifixi.* ( *Opusc. de char. c. 32.* ) Atque hoc unum pietatis exercitium satis esse posset ad frequentandam salubrem mortis reminiscentiam: Varietatis tamen gratiâ plures occasiones insinuabo, quibus illa excitari possit. In quo sicui fortè visus ero paullò prolixior, meminerit, *Mortem* non modò *juvenibus*, quod ait Nazianzenus, sed omnibus omnino mortalibus *esse in insidiis*, ac proinde ex more eorum, qui sibi sciunt insidias strui, nos ubiq; cautos, ubiq; timidos, ubiq; circumspectos esse oportere. Nunquam satis cavetur, quod semper timetur. Porrò facilè elicitur Mortis recordatio ex quotidianis Vitæ actionibus, quarum primaria est *Psalmorum* cantus, seu Recitatio, persolvenda ab iis, qui ad illam tenentur: *Usus* deinde *sensuum*, ac deniq; *Locus* & *Tempus* insidiatricis nos mortis admonere possunt. Ordiamur à primo.

CAPUT

# Caput X.

## *Memoria mortis ex diurnis Actionibus.*

MAnè dato ad surgendum seu campanæ seu alio signo, occurrat illud S, Hieronymi auribus assiduè intonans: *Surgite mortui*! Revera enim quoties à somno, toties à morte quadam excitamur, quæ perinde ac mortuos rerum omnium usu privat. *Nam quid tam mortis simile, quàm dormientis aspectus?* quærit Chrysologus. (*s. 24.*) Salutaris est hoc tempore & illa admonitio: *Cùm manè fuerit, puta te ad vesperam non perventurum.* (*Th. k. l. 1. c. 23. n. 3.*) Nec minus utilis S. Borgiæ consuetudo, quæ illum, simul atq; de strato surrexit, ad figendum terræ osculum deprimebet, ut *se de humo conditum*, in terram reversurum meminisset.

*Vestimur.* Paulum audiamus 1. Cor. 15. 34. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo, qui scriptus est: ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?*

*Meditamur. Optima Philosophia est mortis Meditatio.* Assumatur itaq; interdum Meditandi thema de Morte. quale ministramus Parte ult. hujus libelli pag.

*Oramus.* Oremus, quæso, quotidie aliquid, &

pro

pro felici morte. Cui exorandæ potissimùm serviunt Litaniæ de SS. Virgine Lauretanæ, Fidelibus jam propè omnibus in dies usitatæ.

*Studemus. O quàm miserum est nescire mori!* clamat Seneca. Ars artium est scire bene mori: hanc ergo discamus; ne alioquin eorum in numero simus, quit, ut ait idem, *inter mortis metum & vitæ tormenta miseri fluctuant, & vivere nolunt, & mori nesciunt.* (*ep. 4.*)

*Vescimur. Mors in Olla.* 4. Reg. 4. 40. *Venenum in auro bibitur.* Seneca. Uvæ acinus Anacreonti Poëtæ, Spina piscis Tarquinio Prisco satis ad mortem fuit.

*Decumbimus. Vespere facto, manè non audeas tibi polliceri.* Kemp. *Quis scit, an adjicient hodiernæ crastina vitæ Tempora Dii Superi?* Cogitemus cum Lipsio:

*Ad lectum: ad lethum!* vel cum Joanne Berkmanno S. J. adolescente innocentissimo: *En mortis incertus, intro hoc sepulchrum!* Decantatum est illud de Reginaldo licentiæ vivendi assveto, qui cùm nullam de rebus divinis mentionem admittere vellet, eo tantùm projecto: (*Isai. 14. v. 11.*) *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*; ad frugem rediit. Proderit & nobis in strato decumbentibus idem recordari.

*Confitemur.* Illum imitemur, qui, ut dicebamus *cap. 4.* quotidie perinde, ac si mox obeundum foret, sacrum tribunal adibat. Ajunt ipsam Adami calvariam Christi in Golgothæo monte Morientis

sangui-

ſanguineis ſtillis fuiſse perfuſam: unde Pictoribus cranium ad pedem Crucis pingendi data ſit occaſio, sit fides penes Authores: poterat enim ex picta calvaria Mons Calvariæ ſignificari: pium eſt inter confitendum cogitare, nos ſtillante de Chriſti Crucifixi vulneribus ſangvine irrorari. *Nam* (qui eſt Senſus S. Franc. Saleſii) *tametſi ipſiſſimus Salvatoris JESU Sanguis non ſit, eſt tamen Sanguinis ejus effuſi meritum, qui Pœnitentes irrigat, lavat, & reſpergit.* (*Introd. par. 2. c. 19.*)

*Communicamus.* Si ſacra Synaxis inſtar Viatici ſacri ad mortem ſumatur, & vim illius obtinet, ſi contingat mori, & liquido quodam ſingularique ſolatio ex hac cogitatione animus perfunditur.

*Sacrificamus.* Dum Chriſti Mortem commemoramus, mortis quoq; noſtræ meminerimus tum phyſicæ tum moralis, hoc eſt, mortificationis. Poſteriorem à nobis requirit hiſce verbis Gregorius; *Qui Paſsionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari, quod agimus.* (*Dialog. l. 4. c. 59*) Et iterum: *Neceſſe eſt, ut dum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus.* (*Idem ibid*) Multis ad ſacrum ire, eſt ire ad martyrium. *Eamus* (ajunt illi cum fervente Thoma) *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* (*Joan. 11. 16.*) Atque utinam tam felices eſsemus, ut quoties Hoſtiam divinam Omnipotenti DEO offerimus, toties ipſi DEO victima cadamus! Sanctis Matthæo Apoſtolo, Stanislao Episcopo, Clementi Ancirano, Stephano Pontifici pluribúsq; aliis felicitate ſimiles; quorum glorioſa mors

fuit

fuit ad aras cum Christo, & pro Christo generosè oppetiisse.

*Horis Canonicis seu continendis, seu legendis vacamus.* Quoties illa salubrem nobis mortis memoriam suggerunt; modò suggestiones illas non primoribns tantummodo labiis delibemus, sed in cor demittamus. Etenim, ut unum alterúmve locum in sinuem, quàm efficax ad corrigendos mores inconditos illud: *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus; nè subitò præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus.* (*Dom. 1. quadr. lect. 4. resp. 4.*) *In Communi Confeßorum* Lectiones S, Gregorii in Evangel. *sint lumbi, &c.* ad maturam mortis incertæ dispositionem nos clarè informant. Pretiosas Sanctorum Mortes nónne idcirco legimus, ut illas non æstimare modò, sed imitari etiam studeamus? Jam verò gloriosi Martyrum agones eò nos, nisi fallor, impellunt, ut cum iisdem Christum Redemptorem nostrum amemus in vita, sequamur in morte. Sic enim illos laudare jubemur. *Viri Sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua: & ideò coronas triumphales meruerunt.* (*Comm. pl. MM. R. 2.*) At verò Psalmi ipsi, quia referti sunt ejusmodi versibus, qui ad accurandam mortis felicitatem plurimùm conducant, juvat illos hîc singillatim excerpere. Sed duo observanda: alterum, ut dum pronunciantur, id fiat cum aliqua animadvertentia: alterum, idq; præstabilius, ut otium ad penetrandam

illorum

illorum vim aſsumatur. Obiter decurſa intellectum ſubinde perſtringunt, voluntatem non afficiunt.

## CAPUT XI.

## *Pſalmorum Verſus mortis memoriam refricantes.*

PSalmo 1. verſu 5. *Non reſurgent impii in judicio.* q. d. Reprobi cùm mortui fuerint non reſurgent in extremo die judicii ad vitam, etſi reſurgent ad pœnam. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.*

3. v. 6. *Ego dormivi & ſoporatus ſum, & reſurrexi.* q. d. Ego (Chriſtus) mortuus ſum, ſed tertiâ die reſurrexi. quo Fideles meos de reſurrectione à morte, aſsecuraui.

4. 9. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Inde illud: *Requieſcant in pace.*

6. v. 5. & 6. *Convertere Domine, & eripe animam meam: Salvum me fac propter miſericordiam tuam. Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* q. d. Salva me, & libera tantiſper à morte: quia poſt mortem & in ſepulchro non eſt amplius occaſio cum merito te laudandi.

7. v. 13. & 14. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum. Et in eo paravit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

Pſalm.

Psalm. 9. verſ. 14. & 15. *Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis: Qui exaltas me de portis mortis.*

Pſal. 12. v. 5. *Illumina oculos meos, ne unquam abdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, Prævalui adverſus eum.*

15. v. 9. *Caro mea requieſcet in ſpe,*

16. v. 17. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua,*

21. v. 10. 11. 16. *Tu es* ( Domine ) *qui extraxiſtî me de ventre: Spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus ſum ex utero. De ventre matris meæ Deus meus es tu ne diſceſseris à me. Quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt, qui adjuvet. Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt oſsa mea. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me.*

22. 4. *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.*

26. 1. *Dominus illuminatio mea, & Salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?* Pſalmus hic abundat piis Affectibus deſiderii cœleſtis Patriæ, fiduciæ in Deum, Petitionis, &c. qui Morituris & Moribundis ſerviunt.

29. 10. 11. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam?*

30. v. 1.

30. v. 1. & sequentibus, usq; ad: *In manus tuas* (Domine) *commendo Spiritum meum.*

31. 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia ejus. Ut eruat à* MORTE *animas eorum.*

33. v. 20. *Multæ tribulationes justorum: & de his omnibus liberabit eos Dominus.*

Mirum est, quantùm hic versiculus cum fiducia pronunciatus, hominem in adversis corroboret.

Ibid. v. 22. *Mors peccatorum pessima.*

34. 10. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?*

35. *Domine, apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* v. 10.

36. v. 1. 2. *Noli æmulari in malignantibus, neq; Zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.*

37. 1. *Domine, ne in furore tuo arguas me &c.* Psalmus hic, uti & reliqui, quos vocamus *Pœnitentiales*, si ut par est, à sanis usurpentur, erunt usui solatióq; infirmis. Experto Augustino crede.

40. 1. *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Dies mala & amara valdè est dies mortis, & particularis judicii. In hac die mala bene erit misericordibus.

41. v. 1. & seq. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te DEus. Sitivit in te &c. quoniam transibo* (per ja-

nuam mortis ) *in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum Dei.*

42. 1. *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* q. d. Divino judicio tuo, me, Deus, permitto: sed simul rogo, ut discernas causam salutis meæ & secernas ab iis, qui audituri sunt ex te: *Ite maledicti in ignem æternum.*

43. 20. *Humiliâsti nos in loco afflictionis, & & cooperuit nos umbra mortis.* Et v. 22. *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.* Revera enim ut victima sub cultro, sic nos sumus sub mortis imperio: & quamdiu vivimus, tamdiu morimur. *Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis?* S. Gregor.

48. 6. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quid per istam *calcanei iniquitatem* intelligatur, per sententias interpretum non eo, sequórq; sensum eorum, qui peccata venialia intelligunt, quæ ordinariè ab hominibus, pulveris instar habentur, contemnuntur, calcaneo teruntur. his igitur circumdari timet Propheta. Ita Pawlowsky Locut. DEi ad cor. pag. 35.

Ibid. v. 21. *Simul insipiens & stultus peribunt. Et relinquent alienis divitias suas: & sepulchra eorum domus illorum in perpetuum.* & vers. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt:* MORS *depascet eos.*

51. 1. *Quid gloriaris &c. Propterea Deus destruet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.*

53. 8. *Vo-*

53. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* q. d. Me tibi per mortem libenter & ultro sacrificare volo. *Sacrificanda DEo anima!* ajebat identidem in extremo morbo P. Humbertus Selínus S. J.

54. v. 5. 6. 7. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.*

55. 14. *Eripuisti, Domine, animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

58. v. 17. *Ego autem cantabo &c. Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.* Dies mortis non incongruè dicitur *dies tribulationis:* erit enim tunc tribulatio magna. Susceptor autem noster Deus est, dum nos cœlo recipit.

61. v. 6. *Verumtamen Deo subjecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea. Quia ipse Deus meus, & Salvator meus: adjutor meus, non emigrabo.* q. d. Spero me ex hoc mortis periculo evasurum per gratiam & opem Dei: cui tamen me resignatè subjicio, ejúsq; voluntati trado.

62. 4. *Melior est misericordia tua, Domine, super vitas.* Hoc toties ingeminandum, quoties nobis desiderium vitæ intrinsecus oritur, vel vana diutius vivendi spes injicitur; exemplo Alphonsi Salmeronis, cui cum Amici longiorem vitam seu precarentur, seu pollicentur, reponebat: *Melior est Misericordia Domini super vitas.*

64. 5. *Beatus, quem elegisti, & aßumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.* R. Patri Vincentio Carafæ, cùm quis domi vitâ excedebat, solito sereniùs micabat vultus, nempe erectâ ad præsentem ejus obitum spe, brevi illum ad beatam vitam sequendi; neq; divellere se à cadavere poterat, sublatísq; in cœlum oculis, *Quàm felix est*, exclamabat, *quàm felix!* Vitæ. l. 1. c. 12.

Ps. 65. v. 8. *Benedicite Gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis ejus. Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.*

67. v. 1. *Exurgat Deus, & dißipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus: Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*

His versibus utitur Ecclesia in Commendatione animæ: quibus tartareas legiones à Moribundo arcet.

68. 1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam. &c.* Psalmus hic, sicut Christum in morte dolentem repræsentat: Sic Moribundi doloribus auxilium adferet: si, dum valet, illum piè oraverit, in morbo repetierit.

70. 9. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Quando animi corporísq; vires magìs, quàm in morte deficiunt?

72. v. 4. 6. 7. *Quia non est respectus morti eorum ..... Ideò tenuit eos superbia operti sunt iniquitate & impietate suâ. Prodiit quasi ex adipe iniquitas*

*quitas eorum: transierunt in affectum cordis.* En, quæ mala mortis oblivionem comitentur!

Ibid. v. 25. *Quid mihi est in cœlo &c.* Affectus est Prophetæ terrena omnia nauseantis, & Deo conjungi à morte cupientis.

74. 3. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Etiam, quæ nobis justa videmur fecisse, discutiet Examinator Deus. quo tempore? die mortis clanculum, die judicii palàm & apertè.

75. 6. *Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* Fur nimirum Mors, non tantùm rapit omnia, sed cùm raptura minimè putatur.

76. v. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* O si haberemus! *Quem æternitas non movet, aut fidem non habet, aut cor non habet.* Tessera est Guilielmi Lamormaini Ferdin. IIdi Confessarii.

81. *Vos autem sicut homines moriemini.* v. 7.

83. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* Totus hic Psalmus ad cœlestem patriam aspirat.

85. 12. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo &c. quia eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Gratiarum est actio pro recuperata valeludine, & liberatione à morte.

87. v. 4. *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.*

88. 49. *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?*

89. v. 4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit.* v. 6. *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.* Appositè Nazianzenus: *Homo flos, tempestivè nascens, tempestivè arescens.*

90. 1. *Qui habitat &c,* Multi sunt, qui hoc Psalmo iter, cùm peregre proficiscuntur, prosperum efficiunt. Hoc eodem nos tueri, possumus, cùm ingredimur iter æternitatis. Hunc P. Franciscus Costerus, jamjam migraturus cùm meditatè audiret, singulorum versuum sensum in divina beneficentiâ ajebat se cum bono DEO expertum. Tandem ubi lectum: *Ostendam illi salutare meum:* adjecit; *hoc adhuc supereße: hoc se sperare.*

100. v. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fœnum arui.*

Ibid. v. 24. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi: ne revoces me in dimidio dierum meorum.*

102. v. 15. *Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fœnum dies ejus: tanquam flos agri sic efflorebit.*

103. v. 33. *Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo, quamdiu sum.*

107. 1. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Idem repetit Psaltes ps. 56. v. 8. quasi dicat: Paratus sum ad vivendum, paratus ad moriendum. Et hoc est, quod in S. Martino miratur Ecclesia: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.*

113. v. 17.

113. v. 17. *Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum.* Vide Psal. 5. v 6.

114. v. 3. *Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me. Tribulationem & dolorem inveni: & nomen Domini invocavi, &c.*

115. v. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

117. *Non moriar, sed vivam: & narrabo opera Domini. Castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.*

118. *Beati immaculati, &c.* Quanta sit hujus Psalmi pro consecutione felicis migrationis efficacia, vel inde conjicitur, quòd illum Ecclesia apud Moribundos recitari jubeat, si eveniat illos extremum agonem diutiùs trahere. Et verò multa sunt in eo, quæ illi articulo commodùm inserviant. Ut:

*Non me derelinquas usquequaque.* v. 8.

*Benedictus es Domine.* v. 12.

*Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* v. 20.

*Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundùm verbum tuum.* v. 25.

*Noli me confundere.* v. 31.

*Veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm eloquium tuum.* 41.

*Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea.* 49.

*Priusquam humiliarer, ego deliqui.* 67.

*Bonum mihi quia humiliásti me.* 71.

*Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.* v. 80.

*Defecit in salutare tuum anima mea.* 81.

*Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?* 84.

*Tuus sum ego, salvum me fac.* 94.

*Omnis consummationis vidi finem.* 96.

*Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* 116.

*Confige timore tuo carnes meas, à judiciis tuis timui.* 120.

*Aspice in me, & miserere mei* 132.

*Judica judicium meum & redime me.* 154.

*Concupivi salutare tuum, Domine,* 174.

*Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum.* v. 176.

Psal. 119. v. 5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!*

121. *Lætatus sum in his, qui dicta sunt mihi. In domum Domini ibimus,* Multis hic versiculus in morte solatio fuit: B. Aloysio Gonzagæ præsertim, qui invisenti ad se cuidam Sacerdotum: *Pater m*, dicebat, *lætantes imus, lætantes imus.*

123. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

126. v. 3. *Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini,*

138. v. 23. 24. *Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.*

141. 1. *Voce meâ ad Dominum clamavi, &c.*

v. 8. *Educ de custodia animam meam: me expectant justi donec retribuas mihi.* Psalmus hic S. Francisco Seraphico vivendi pariter & orandi finem dedit: dum in eo versiculo, *Me expectant justi, &c.* efflavit animam. Breviar. 4. Octobr.

142. 2. *Non intres in Judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Ibid. v. 10. 11. *Spiritus tuus bonus deducet me in in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam.*

143. *Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra prætereunt.* v. 4.

145. 4. *Exibit Spiritus ejus, & revertetur* (corpus) *in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Hoc fatetur Jobus: *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Job. 17.

150. *Omnis spiritus laudet Dominum.* v. 6. Hoc eodem versiculo S. Vincentius Ferrerius vitam, quo suum David Psalterium absolvit.

# CAPUT XII.

## *Ex usu Sensuum, Loco item, & Tempore potest elici memoria Mortis.*

INfinitus essem, si res omnes, quæ sub sensum cadunt, etiam sub mortis memoriam cogerem. De infinitis pauculæ sufficiant: quæ tamen ipsæ non eò spectabunt, Moriture Lector, ut solâ mortis recordatione animum tuum pungant, sed uti nunc istâ, nunc illâ occasione mortis reminiscens discas deniq; & mortem non timere, & conscientiæ puritati consulere, & perspicere rerum omnium vanitatem.

Quod igitur ad *Aspectum* attinet,

*Vides* e. c. immensas illas patentium *Cœlorum* regiones? Patriam tuam cogita, ad quam per mortis beatæ januam sit aditus, & levato in cœlum animo, aut, si placet, etiam digito, dic ipse tibi: *Ecce hæreditas Domini!* quando cernenda? *Cùm dederit dilectis suis somnum.* Psal. 126.

Vides *Aquam* seu lacubus stagnantem, seu flumine currentem? Occurrat illud: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertantur.* 2. Reg. 14.

*Terram* aspicis? *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3.19.

*Facem* ardentem vel *Candelam* vides? Sic & nos consumimur, donec extingvamur.

*Homi-*

*Hominem* consideras? Mortalis mortalem: *Homo de humo, limus de limo.* Xerxes, cùm ingentem suum exercitum de editiore loco spectâsset, solutus est in lacrymas. Causâ lacrymarum: Quòd post 50. annos nemo militum supervicturus esset.

*Solem* aspicis? Quod soli occasus hoc nobis MORS est. Vix orimur, morimur.

*Florem* intueris? *Homo natus de muliere, repletur multis miseriis. qui quasi Flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Job. 14. Leo Pont. XI. Rosam gerebat in scuto cum lemmate. *Sic florui.*

*Fabrica* occurrit apparatu magnifica? Erit cùm & hic *non manebit lapis super lapidem.* Luc. 19. 44.

*Arborem* vidisti? Vide, ne fortè in te conveniat: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* (*Luc.13.8,*) Et fortè jam *posita est securis ad radicem.* (*Luc.3.9.*) Ergo, quod S. Joannes Baptista monet (*Matth.3.2.*) *age pœnitentiam.*

Jam verò

*Audis* aliquem ex morbo emortuum, illum igne absumptum, hunc aquis suffocatum, istum ruinâ domus obrutum, alium ab hoste peremptum, alium alio mortis genere extinctum? Vellicet auriculam Bernardus inquiens: *Quidquid illis accidit, tibi accidere potest, quia homo es.* In Medit. c 3. de dignit. anim.

*Audis Campanam funebrem?* Vocamur! *Mihi heri, tibi hodie.* Eccli. 38.

*Audis* suavissimos *Musicæ*, insonantis modulos? *Periit memoria eorum cum sonitu.* ps. 9. 8. *Tenent tympanum & citharam, & in bonis ducunt*

dies

*dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* (*Job.* 21. *v.* 12.

*Audis horologium? Filioli, novissima hora est,* 1. Joh. 2. v. 18. *Quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Luc. 12. *MARIA Mater gratiæ, &c. Et mortis horâ suscipe. Ave Maria, &c. ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis.*

*Ad Odoratum. Putredini dixi: Pater meus es: mater mea, & soror mea, vermibus.* Job. 17. 14.

*Ad Gustum. O Mors, quàm amara est memoria tua!* Cui? *Homini habenti pacem in substantiis suis.* Eccli. 41. 10.

*Ad Tactum. Credo, quòd Redemptor meus vivit, &c. & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* (*Job.* 19. 26.) Eutychius Patriarcha à S. Gregorio Papa de Resurrectione mortuorum convictus, instante morte, pellem manûs suæ tenebat, multis præsentibus, dicens: *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus.*

Locus demum ipse & Tempus nos mortis admonere potest. Nam si *Domi* moremur, cogitare possumus illum Psaltæ versiculum: *Sepulchra eorum domus eorum in perpetuum.* Psal. 48. 12.

Si in *templo* agamus, aut *Cœmeterio*; ibi sepultorum meminerimus. *Hæc Requies mea, hic habitabo.* Ps. 131. v. 14.

Si in horto, prato, vel amœno loco. *Homo sicut fœnum dies ejus: tanquam flos agri sic efflorebit.* Ps. 103.

Si de loco in illum peregre migremus. *Non*

*habemus hic manentem civitatem, sed futuram* (in cœlo nimirum) *inquirimus*. ad Heb. 13. 14.

Porrò malè collocati *temporis* jactura cùm in morte hominem plurimùm excruciet; danda est opera, ut illud semper utiliter insumatur. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Galat, 6. 10.

Nam, ut ait Bernardus, *Sicut capillus de capite, nec momentum peribit de tempore*. Omnia vitæ nostræ momenta in examen venient. Et, ut idem asserit, *Omne tempus impensum exigetur à nobis, qualiter sit expensum*. Discept. 208.

Ceterùm ut ex *Tempore* mortis meminerimus, poterit *matutinè* usurpari illa Ezechiæ aspiratio: *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me: de manè usq; ad vesperam finies me*. Repetit: *De manè usq; ad vesperam finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba*. Isai 38. v. 12.

Passim jam orbi notus est Chrysaorii Pœnitentiam negligentis gemitus: *Inducias vel usq; manè! inducias vel usq; manè!* Frustra! Priùs noctem Plutonis, quàm Solis ortum vidit.

*Sub meridiem* Pium imprimis & salubre fuerit Christi, ut sponsa loquitur, *cubantis in meridie*, (*Cant.* 1. 7.) id est, in cruce tres horas inter enormes cruciatus pendentis meminisse. Sunt certè, qui sibi religioni ducerent, si ad horæ tertiæ sonum (quæ verno æquinoctio ab ortu Solis est nona) mortem suam Morienti Christo non commendarent illâ saltem oratiunculâ: *Domine JESU Christe propter illam amaritudinem &c*. pag.

*Sub vesperum* suspiremus cum Ecclesia: *Largire lumen vespere, quo vita nusquam decidat: Sed præmium Mortis sacræ perennis instet gloria!*

*Sub noctem* cogitare licebit: Si audire contingeret: *Hâc nocte repetent animam tuam à te*; (*Luc. 12.*) quid agere vellem? Vel illud: *Venit nox, quando nemo potest operari* Joan. 9. v. 4. Scilicet, ubi lumina in mortem clauserimus, *Tempus non erit ampliùs* Apoc. 10. v. 7.

Huc deniq; pertinet illa doctrina R. P. *Andreæ Schambogen S. J.* magni in Provincia Bohemiæ Spiritûs Magistri, svadentis, ut pro comparatione ad mortem deligatur certus in anno, mense, hebdomade dies, quo nobis collectione animi, precibus, afflictatione corporis, consideratione mortis felicem ex hac vita transitum demereamur. Ita demum fore, ut quocunq; anno, mense, hebdomade moriamur, felicitatis optatæ nobis veluti vectigales faciamus. Hunc ad finem valebit in anno dies Parasceves, Christo Morienti morientium omnium Præsidio & Exemplari sacratus; in mense primus illius aut ultimus Dies, vel certè S. Patrono menstruo consignatus; in hebdomada quaque dies Sabbathinus, Patrocinio Matris agonizantium Mariæ Virginis illustratus. Et hac piâ Praxi, æquum est, ut nos communiamus Nihil nobis præscribitur nimium. Agamus, quidquid possumus. Tota vita vix ad hoc unum sufficit, ut discamus bene mori.

Omne punctum industriæ sibi vendicat illud
Punctum, à quo pendet Æternitas.

PARS

# PARS II.

## De proxima ad felicem Mortem Præparatione.

CHriſtus æterna Veritas, beatos pronunciat eos, qui puritate vitæ & conſcientiæ nitore ſemper circumſpecti ita vigilant, ut ad primum illius aditum & pulſum expediti ſint eundem amanter accipere, hoc eſt, ex hac vita ad illam immortalem tranſire. Quid ſit autem advenire Chriſtum, quid fores hominis cujusq; pulſare, quid aperire pulſanti Chriſto, eleganter ut ſolet, declarat S. Gregorius: *Venit* (inquit) *Dominus, cùm ad judicium properat: pulſat verò, cùm jam per ægritudinis moleſtias eſse mortem vicinam deſignat. Cui confeſtim aperimus, ſi hunc cum amore ſuſcipimus.* (*Hom. 13. in Evang.*) Eſt verò ſingulariter amanda, gratóq; animo ſuſpicienda iſthæc DEI Optimi erga nos providentia, quòd tametſi pro poteſtate ſui in nos dominii poſset omnes omnino hinc repentè ſubducere, plerumq; tamen prævio ægritudinis immiſsæ impulſu accedat, ut præparationi ad mortem & locum concedat & opportunitatem: quam ſiquis per ſupinam ſocordiam negligat, ipſe ſibi exitium, imputet, illúdq: fulmen impendere non dubitet; *Perditio tua ex te.* (*Oſee 13. 9.*) Quisquis igitur incolumis adhuc & viribus integris per Remotam Præparationem, de qua actum hactenus, Chriſtum Judicem pervigil

vigil expectavit, utprimum eundem admonitorio infirmitatis strepitu pulsantem senserit, ad proximam pro morte Præparationem sese accingere studeat, quæq; præscribentur Deinceps, tempori observet. Neque inde ansam ignaviæ arripiat, quòd fortasse sæpiùs ægrotans, rursum consanuerit: quando, *Quem sæpe casus transit aliquando invenit*; (*Senec.*) & justo DEI judicio id fieri potest, ut hâc ipsâ ignaviâ mereatur citra ullos venturæ mortis monitores repentinò hinc abripi; spatiáq; temporis ad Præparationem illam idonei minimè invenire. Etenim verè ille cecinit:

*Cui pœnitere cùm licet, nunquam libet;*
*Huic pœnitere cùm libet, nunquam licet.*

Hujus verò Proximæ ad sanctam Mortem comparationis unde congruentiùs documenta sumemus, quàm ex pretiosa Christi Paßione? quæ non modò fuit copiosum nostræ redemptionis lytrum, sed etiam efficax piè moriendi exemplum. Huc enim rursus revocandum est Apostolorum Antesignani effatum: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* (1. *Petr.* 2. 21.) Quare observabimus deinceps potißima Domini Patientis mysteria, quídve ex iis Ægroto seu Morituro discendum sit, ad præclaram imitationem, dispiciemus.

CAPUT I.

# Caput I.

## *Christus imminente Morte SSæ. suæ Matri valedicit.*

NIhil hac de re sacri Evangelistæ. Vero tamen simillimum est, Christum antè quàm Bethaniâ Jerosolymam ultimùm ingressus esset, bona verba Matri, quam unice diligebat, non sine mutuo complexu dedisse: instantis sibi Passionis seriem recensuisse ex ordine: ad constantiam animavisse: mox ubi à morte redivivus resurgeret, omnem se illi Dolorem ac mæstitiam abstersurum, pollicitum esse. Acerba ūtrinq; separatio: quæ tamen ex parte Christi non minus fortitudinis, quàm amoris habuit, cùm posthabitâ Matris amantissimæ dulci consvetudine, læto alacríq; animo ille ferebatur ad mortem. Jubeat sane Moribundus suos bene valere; liberos, qui parens est, & conjugem benedictione impertiat; monitis & doctrinis, quæ in animos altiùs illabantur, valeántq; ad vitam rectè instituendam communiat; fleri se & plorari immoderanter, vetet: nihil horum prohibeo; hoc unum moneo, ne, ubi ista præstitit, nimio se domesticorum amore & curis implicari sinat; sed exemplo Christi amicos & cognatos omnes sibíq; carissimos generoso animo deserat, neq; ullam perturbationem in animum admittat propterea, quòd cogatur separari ab iis, quorum contubernio, fide, societate, amicitiâ, etiam sanctâ, diutissimè sit

 usus.

usus. Satis tibi, Moribunde, fiat, si unum alterúmve habeas fidelem tuo lecto adstitem, qui cum negotium æternitatis agas; à quo tum precibus, tum monitis ad feliciter migrandum corroboreris; qui te, non tua curet; tuæ salutis, non posseſsionis cupidus quæsitor. Quod si nihilominus importunis amicorum acceſsionibus te molestari videris, alterutrum ægrotantium imitare, si lubet: vel illum de Societate JESU, qvem morti vicinum cùm è Proceribus regni quispiam ultimùm valedicturus invisiſset, Pater ad officium humanitatis Laconice, imò Christianè respondit: *Domum hospes redeat, rem sibi cum solo Crucifixo.* Vel certè illum alterum Spiritu religioso plenum, qui ab amico rogatus, quod obsequium sibi postremum præstari vellet, respondit: *dicat aliqua de Crucifixo* Utriusq; horum meminit Wencesl. Schwertfer libello pervenusto, quem *JESU Christo Crucifixo* inscripsit. Mirabilis est sanè in sanctis suis Deus: mirabiles ipsi in Deo sancti, quorum si gratia multiplex, unus tamen atq; idem Spiritus gratiarum Auctor. Quis non veneretur Sanctorum Antonii, Martini, Dominici, Francisci, Mauritii, Petronii, aliorúmq; longè plurimorum constantem & solicitam erga suos caritatem, à quibus non citiùs hinc ad cœlos avolârunt, quàm paternâ apprecatione, ac saluberrimis ad omnem virtutem cohortationibus impertiſsent? Sanctum tamen Ignatium; Ducem & Parentem nostrum alia planè viâ incedentem, nunquam potui sine teneriore quodam animi liquescentis sensu meminiſse. Languore corporis

poris ad extrema deductus, non ignorabat sibi mortem jam esse in januis. quare Joannem Polancum sibi à secretis, ad Pontificem indulgentiam peccatorum inde sibi relaturum ablegat. moratur hic tantisper, pejus nihil solito habere Ignatium, ut pleriq; ceteri, arbitratus. Patitur ipse se negligi, & mortem opperitur in horas; interea neque Vicarium sufficit, nec socios convocat, nec præceptis ullis monitìsve instruit, ita secum reputans: Tibi, Deus, tuæq; curæ meos omnes committo. Tui sunt, quos dedisti mihi. Non mihi sumo, ut iis dictem monita, quorum aspectu capiebam in virtute profectum. Ita vixit, pauculis, qui forte accurrerant, sociis stipatus, multis coronis cumulatus Ignatius Cujus morientis humilitásne spectabilior, an in Deum fiducia fuerit, Lector arbitretur; mihi puritas omnis humani affectûs libera, non obiter observanda videtur, neq; esse tantivis, quos in vita unicè dileximus, destinatâ voluntate magis, qnàm necessitate deserere. Itáq; ex merito laudat S. Laurentium Regularis Canonicus: *Vicit*, inquit, *S. Martyr Laurentius seculum cum suo Sacerdote: quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, despexit: & summum Sacerdotem Sixtum, quem maximè diligebat, pro amore Christi, etiam à se tolli clementer ferebat. Amore igitur Creatoris, amorem hominis superavit: & pro humano solatio, divinum beneplacitum magis elegit.* Concludit Theodidactus Thomas: *Ita & tu aliquid necessarium & dilectum amicum pro amore DEI disce relinquere. Nec graviter feras, cùm ab amico*

*derelictus fueris, sciens quoniam oportet nos omnes tandem ab invicem separari.* ( *Th. Kemp. l. 2 c. 9. n 2.*) Et verò non erit difficile nobis, quod cogit necessitas, ex virtute facere, si Christi exemplum respicere voluerimus, cui quàm violenta acciderit à discipulis separatio, verbo uno indicat Evangelista dicens: *avulsus est ab eis:* ( *Luc. 22. 41.* ) Nisi forrè dulcius sit nobis cum hominibus miseris & mortalibus, in hac vita tot ærumnis plena, quàm cum Christo vivere, & Angelorum, Cœlitúmque æternâ societate perfrui; nec potiùs ad beatam illam patriam properare, *ubi nos longè major charorum numerus expectat, jam de sua immortalitate securus, & adhuc de nostra salute solicitus.* ( *S. Cypr. de mortalit. fine.*)

Dixerit Moribundus quispiam: Carissimis quibusq; vale dicere, sibi jam esse integrum: at illum, cui tot annos consvêsset cujus in sinu vixisset, fidissimum illum atq; individuum Achatem, Corpus nempe deserere, hoc verò sibi esse acerbissimum. Imò verò, sicut in vita illud pro hoste habendum erat, sic in morte pro hoste deserendum est illud pondus animæ, incentivum scelerum, seminarium vitiorum. Qvin potiùs Robertum Card. Bellarminum imitamur, qui in extrema ægritudine, pellem ipse suam digitis arripiens dicebat: *Quid tu obscura, & ignobilis caro mihi adhæres adhuc? quid animam retines nec ire illam pateris in domum suam? Dividere tandem, ac disrumpere! Vit l. 7. c. 2.* Nónne cùm tua te Caro stimularet ad vitia, urgeret

ad

ad illicita, tentaret ad impia, ingemiscere solebas: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ( *Rom.* 7. 24. ) Ecce Christus jam te de corpore liberat; nec gaudes? aculeum hebetat; nec plaudis? tentatorem fugat, nec exhilarescis? Moriatur, computrescat caro, dum animus ad libertatem evolet. Quod si nostro Corpori, ut amico fas est, bene volumus, quid melius illi possimus optare, quàm, ut sementis instar in terram projectum ad immortalitatis gloriam efflorescat? Lætetur proinde potiùs quàm mœreat, aut turbetur, cùm sui dissolutionem corporis adesse videt, æger, & cum illo Lazaro, de quo Magnum Speculum Exemplorum meminit, cadaveris similiore, quàm hominis vivi, etiam, si lubet, lætitiam modulando testetur. Res ita se habet. Dynasta cum famulis venatum de more profectus, dum obvias fortè feras persequitur, in nemus delabitur, ibiq; vocem audit hominis svavissimè cantillantis. Hanc ille secutus, leprosum reperit prorsus informem, visúq; horridum, cujus putescens caro tota defluebat. Quem cùm percontatus esset, cujusnam vox illa adeò svavis insonuisset, & ille suam respondisset fuisse, Dynasta demiratus: *Quomodo*, inquit, *tantis doloribus affectus canere, ac lætari potes?* Cui leprosus: *Méq; Deúmq; inter*, inquit, *luteus unus paries, hoc luteum nempe corpus intercedit. Hoc pariete disrupto collapsóq;, liber ad Deum mihi aditus patebit. Quamobrem cùm solvi, & dilabi meum quotidie corpus intueor, mirificè lætor; & præ lætitia mihimetipsi gratulor, meiq; cor-*

*poris dissolutionem lætius præstolor, ut ocyùs ad Deum perennis vitæ fontem valeam pervenire.* Ita dixit, ita cecinit.

Cantator Cygnus funeris iste sui.

# Caput II.

## *Christus cœnam Paschalem celebrat.*

Nullo ad illam vinculo tenebatur, ut qui legem Mosaïcam abrogaturus venerat, legem gratiæ illi suffecturus. Celebravit tamen Paschalem illam cœnam, ( *Matthæi. 26.* ) & quidem ea cum diligentia, ut ne minimum quidem apicem in servandis circa illam ritibus prætermiserit. Quo exemplo eruditus Æger, ( Religiosos hîc præcipuè, Deíq; amantiores appello ) non omittet, *quantum* quidem *per valetudinem licebit*, communia ceteris, vel usu privato firmata pietatis ac religionis officia; ut sunt, oratio mentalis & vocalis, examen conscientiæ, Horæ canonicæ, Litaniæ Omnium Sanctorum, aliáq; similia horum. Sacerdos, si sacrificare nequeat, sic studebit vivere ut sacra Synaxi quotidie recreari possit. Qui sacrificio Missæ secundùm corpus interesse non potest, animo intersit. optet non uni tantùm, sed omnibus, quæ toto fiunt orbe, adesse; illáq; SSS. Triadi offerat: quibus sub Missam affectibus solebat, per horæ dimidium vacet, neq; sacram Communionem spiritualem obire intermittat; majorem fortasse hâc ratione,

ratione, quàm si verè Sacro interesset, gratiam à munificentissimo Deo accepturus. Quis non laudi vertat illi Sacerdoti, qui cùm sacrificare non posset, Missam tamen diei competentem perinde legebat, atq; si illam re verâ celebraret? Ingeniosus est amor: quod viribus nequit, votis apprehendit interdum verò animi magnitudine, constantiáq; munitus, viribus ipsis majora aggreditur. Quod perspicuè animadverti licuit in Joanne Nivello, Leodiensi Decano, Viro planè Apostolico, & in animarum lucra ultra valetudinis respectum intento. Acutissimis podagræ doloribus vexabatur, suum tamen solenne semper tenuit in prædicando Dei verbo, excipiendísq; peccatorum confessionibus. Cúmq; nobilis quidam Medicus, ejus podagram se curaturum promisisset, si quatuor modò menses à solennibus laboribus temperaret Nivellus complosis pedibus, altùm, *Væ mihi!* inclamat: *Ergòne solidum quadrimestre otio exigendum? nec ullas interea lucrabor animas, pro quibus liberandis Christus adeò liberaliter suum sanguinem profudit, & quidem propter putidos hosce pedes mox in pulverem solvendos? Equidem meos ipse dolores Deo commendabo.* Sic ille. ( *Cantipratanus lib. 2. apum cap. 5.* ) Dignissimus sanè, quem omnes Dei, Proximìq; amantes, quantum per morbum liceat, imitentur. Dixi: *quantùm per morbum licebit:* Nam si is ità invalescat, ut facultatem adimat ista peragendi, tum verò reliquum ægrotanti erit, non modò pietatis, sed laborum etiam & ceterarum Virtutum externa exercitia, patientiæ impendiis,

ſanctisq; deſideriis compenſare, dicendo: *Domine, tu ſcis, quia amo te.* Tu ſcis, quia Vellem propter te docere in ſcholis, concionari ab exedris, miniſtrare in noſodochiis; gloriam tuam, proximi ſalutem amplificare ubiq; : Sed cùm, ut vides, vires prohibeant, ſuſcipe pro factis bonam voluntatem. Gratum & ratum habeo, quòd tibi pro me ab aliis ſanctè ſerviatur. *Particeps ego ſum omnium timentium te. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi! (Pſ. 118.)* ceteráq; hujusmodi. Non abibunt iſta ſinè merito. Clementiſsimus eſt & optimus DEUS: vota pro factis accipit, & ubi facultatem non reperit, voluntatem coronat. Quod ut certum ſit: cautè tamen providendum eſt, ne infirmitate corporis rerum ſpiritualium faſtidium invaleſcat. Plura ſæpe poſsumus, quàm poſse putemus. neque omnis ægritudo ſævit usq; adeò, ut, ſi priſtino labore eximat ægrotum, continuò immunem faciat ab omnibus conſvetis pietatibus. Salubria legere ſi per dolores non licet, licebit fortaſsis audire; & quando vocales preces frequentari non poterunt, poterit crebrioribus aſpirationibus mens in cœlum levari. Cardinalis Bellarmini hîc mihi commodùm venit in mentem. Extremùm decumbens dolentiſsimè ferebat Vir ſanctus, ſeque adeò in hominem aliquem profanum desiſse modeſtè dicebat propterea, quòd ſibi per Medicos Horas Canonicas perſolvere, meditari, orationi vacare non liceret, itaq; Roſarii ſaltèm recitationem ab eis impetravit. Hoc roſarum genere pariter afflictum moleſtius animum æger refocillet. *Hoc eſt*

*meum*

*meum rosetum, è quo rosas decerpo: hoc lilietum, unde lilia colligo*; dicebat inter amplexus & aspectus Crucifixi P. Carolus Hoffman S. J. quoties doloris vim morbus acuebat. ( *Nad Pret. Occup.c. 9 p 62.*) Oratio, spiritualis lectio, examen conscientiæ, Communio sacra, ceteráq;, quæ spiritum promovent, Pietatis sunt flores, & fructus honestatis, quibus æger fulcitur, ne passum facturus à tempore ad æternitatem malè corruat; quibus tanquam Excubiis stipatur, ut se contra tartareas legiones muniat. ergo, si langueт dolore, amore quoq; DEI rerúmq; divinarum langueat, dicátq; cum Philothea: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* (*Cant. 2. 5.*) Quàm multa ( ut hoc unum adhuc exercitii religiosi genus attingam ) quàm multa, inquam, habet æger, quæ in Examen conscientiæ quotidie vocet! fallor, si non plura, qnàm dum valens & incolumis vixit. quo animo à paterna Dei manu morbum acceptet; quàm fortiter ferat; qualem se in medicos, in famulantes sibi, in ceteros domesticos gerat quàm se expeditum ad emigrandum reperiat: hæc nisi quotidie diligenter discutiat, Sacerdos sit, vel Religiosus, facilè in profanum hominem desciscet, & siquid virtutis possederat antea, deperdet. Particulari, quod vocamus, Examine, si solam impatientiam expugnare studuerit, næ ille operæ pretium fecerit excellens. Cujus quidem factitandi si non Institutor, Instaurator certè S. P. N. Ignatius, adeò tenax observator fuit, ut fuerit animadversus, extremo quoque vitæ suæ die Particularis Examinis notas consignâsse. quæ

eadem laus tribuitur in Vita Balthasaris Alvarez *Joanni Ortunio*, fratri nostro, ut ait Ludovicus de Ponte, valdè sancto; eadémq; *P. Jacobo Granado*, & *P. Andreæ Sednik*, qui mortis ipso die comperti sunt reportatas de vitio, quod expugnabant, victorias adnotâsse. Qvid verò hoc aliud erat, quàm imitari inclytum illum Pancratiasten Eleazarum Ahohiten, quem sacræ Litteræ perhibent in prælio Davidis adversus Philisthiim, *stetisse ipsum, & percussisse Philisthæos donec deficeret manus ejus, & obrigesceret cum gladio.* (*Reg. 23. v. 10.*) Sic isti obriguêre in mortem, sed non sinè gladio: nec citiùs vitia desierunt occidere, quám ipsi occiderent: quasi illo Davidico carmine forent irritati: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* (*Ps. 17.*) Quòd si hoc armorum genus, quo rebelles animi affectiones retundimus, Clypeum vocemus; comperiemus ab hisce Heroibus sanctè observatam illam tesseram: *aut cum hoc, aut in hoc.* quâ Lacænæ matres militaturos filios, cùm eis scuta porrigerent, admonebant: ut post strenuam cum hostibus dimicationem vel *cum scuto* domum redirent victores, vel victi *in scuto* deferrentur (ut mos erat) ad tumulum. Neq; minùs istos usq; ad mortem certantes, quàm fortissimum Ducem Epaminondam admirabimur: qui relatis à prælio plurimis vulneribus jam jam expiraturus, quæsiit: *Salvúsne foret suus clypeus, an ab hoste direptus?* cùm Salvum comperisset. *Jam ergo*, inquit, *lubet, moriamur.* Et revera omnis Moribundi Oratio (ad quam etiam

etiam illud Examen Particulare refertur ) Clypei est instar : hoc Salvo, Salva erunt omnia. ubi deprecatio miseriæ, ibi locus misericordiæ ; quod innuere videntur illa Davidiis suspiria : *Benedictus DEUS : qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.* ( *Ps. 65.* perinde quasi dixerit : tamdiu nobis præstò fore Dei misericordiam, quamdiu ab orandi studio non destiterimus. Nam, ut egregiè S. Augustinus : *Si videris*, inquit, *non esse amotam deprecationem tuam, securus es, quia non est amota à te misericordia ejus.* ( *In ps. 65. versum ultim.* ) Sed de oratione aliàs prolixiùs : nunc à Cœna legali, ad Lotionem pedum cum Christo transeamus.

## CAPUT III.

## *Discipulorum pedes lavat Christus. Joan. 13.*

QVorsum tam stupenda demissio ? Ut humilitatis exemplum discipulis pretioso Corporis sanguinisq; sui epulo mox reficiendis sublimissimus Magister relinqueret. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis.* ( *Joan. 13 15.* ) Hæc pariter ægroti ad beatam Agni cœnam properantis sit cura primaria, pænitentiâ, lacrymis, compunctione conscientiam eluere, & quàm potest maximam animæ munditiem procurare. Martinus Stredonius castigatæ Sanctitatis Sacerdos, cùm Sociis præesset, non priùs ægroto valetudinarii ingressum per-

permittebat, quàm is, depositis in lavacro pœnitentiæ nævis & maculis etiam levissimis omnibus, purum se, atq; immaculatum reddere studeret. Meritò. nam & hic locum habet illud: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* (*ibid. v.8.*) Et illud: *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* (*Apoc. 21. 27.*) Hinc neminem ex iis, qui DEO servire nitebantur impensiùs, facile reperias, quin omnium totius vitæ peccatorum confessionem ante mortem instituerit. Quod cuiq; faciendum *svaderem*, quamdiu sensus vigent; ne, deficientibus prorsum viribus, pœnitentia sit sera, & non sit vera. Quid dico, *svaderem?* Cùm ipsa sacramenti pœnitentiæ ratio per se requirat hominem ita sibi compotem, ut & vitæ anteactæ delicta revocare in mentem, & illa totis viribus detestari, & ad eorum fugam serium animum applicare possit. Ut extremùm ritu catholico ungaris, ægrote, satìs est te genuinum Ecclesiæ filium vixisse. præsumitur velle, qui non recusavit. potest extrema unctio tibi etiam à sensibus alieno conferri; pœnitentiæ sacramentum, nisi prudenti, non potest. cujus utendi facultatem si tibi amentia interceperit, eris profectò mortalium omnium insipientissimus, ut, qui resipiscere, cùm sapiebas adhuc, præfractè nolebas. Sed nos ista non scribimus pœnitentiæ procrastinatoribus; ad *Promontorium malæ spei* à Paulo Zehentnero patheticè conscriptum tales amandamus; siquis tamen esset (ut amat contingere interdum Viris alioqui, prô dolor! intelligentibus) qui dum sanus erat, ad infirmitatem; dum infirmatur, ad extremum

tremum articulum mortis differt pœnitentiam, videat, per DEUM, quid agat, ad imminentis periculi atrocitatem oculos aperiat, &, si Judæ Proditoris exitium perhorrescit, desinat imitari duritiem cordis. *Cor durum habebit malè in novißimo!* (*Eccli* 3.27.) Ut obstinatum meditato scelere pectus pessimi discipuli emolliret optimus Magister, surgit à cœna, vestimenta ponit, linteo se cingit, mittit aquam in pelvim, in genua procidit, pedes perduelli abluit calentibus non tam aquis, quàm lacrymis: hoc idem servitutis extremæ obsequium si tibi ille ipse Dominus præstare pararet, indurate Peccator, Judámne potiùs nihil admodum Christi facto commotum, quàm Petrum insolescentiâ abjectionis turbatum sequi statueres? Atqui non aquæ balneo, nec lacrymis tantùm, sed lavacro proprii sangvinis te abluere paratus est piissimus JESUS, totiésq; id facit, quoties in sacramento pœnitentiæ Peccatores emaculat; & necdum emollescis? ut vivas tu, emoritur ille, atq; piissimi Pellicani instar, manus, pedésq; trabalibus clavis, pectus lanceâ fodicare sinit, ut tu depluo inde sangvine potus, lotus, & fotus reviviscas; & tamen mortem saluti præponis? Durius certè adamante pectus, quod hujus Agni sanguine non liquescat! Pedes animæ sunt affectus. *Non movetur anima pedibus, sed affectibus*, ait Augustinus. (*Tract.* 48 *in Joan.*) hos à te Christus postulat, & negas? abluere desiderat, & retrahis? Ah! *si scires donum DEI*, (*Joan.* 4.10.) & quis est, qui hos à te petit, tu forsitan exclamares cum Petro: *Domine non tantùm pedes*

*des meos, sed & manus & caput.* (*Joan 13. v. 9.*) Ablue, Domine, non tantùm pedes à pravis affectibus, sed & caput ab impuris cogitationibus, & manus à scelestis actibus. *Si scires donum DEI*, quantúmq; sit hoc illius beneficium; quòd te ut plurimos alios, è vivis subitò non sustulerit, sed spatium ad pœnitendum dederit; gratus esses haud dubiè beneficio, nec tuo deesses sempiterno lucro! *Si cognosceres tempus visitationis tuæ!* (*Luc. 19.*) tunc enim te visitat, cùm paternè castigat; tum invitat ad pœnitentiam, cùm ad pœnam vocat: uterêre utiq; tempore ad gratiam, non abuterêre DEI patientiâ ad vindictam. *Si cognovisses in hac die tua!* tanquam *tuam* bene collocares, quò minùs timendam haberes *diem* illam *Domini, diem calamitatis & miseriæ, diem magnam & amaram valdè.* Si cognovisses, *quæ ad pacem tibi* cum DEO habendam faciant, quæreres quantocyùs cum eo reconciliationem, ne damnationem incurras! Nunc autem quia non vis intelligere, ut agas pœnitentiam, quia neque visitationem agnoscis, neqve tempus æstimas, neque die tanquam *tuâ* uteris, neque pacem cum DEO procuras; *ecce dies veniet in te,* (*Luc. 19. v. 43.*) & tuâ citiùs opinione veniet in te, quà alioqui futura erat pro te, *& circumdabunt te inimici tui* dæmones, *circumdabunt te, & repetent animam tuam à te*; & peccata tua coangustabunt te undique: *& prosternentur in terram grandes tuæ designationes*, & spes evanescent omnes: *quia noluisti cognoscere tempus visitationis tuæ.* Quæ tibi ne eveniant, contumax Peccator, age, cogno-

ſce temporis opportunitatem,ſviſitationem divinam accepta. *Non tardes converti ad Dominum Deum tuum.* Omnis mora periculoſa eſt ſtanti ad limem æternitatis. Tempus tuum breve eſt. ſed breve ad vitam, ſat longum ad veniam. Non impeditur temporis anguſtiâ DEI miſericordia. Quid hæres? quid moraris ad eum accedere, à quo recedere non timebas? Pater eſt; *ſi tu amiſiſti, quæ ſunt filii; ille, quod Patris eſt, non amiſit.* Non vult te perire, qui ne perires, hoc morbo percuſsit. non tibi parat mortem æternam, qui temporariæ nuncium præmiſit. Adoleſcentem accepimus per continuatos flagitiorum profectus eo denique impietatis progreſsum, ut Deo demum ipſi exitium moliri ſit auſus. Die quodam, inſaniâ poſt hominum memoriam inauditâ actus, in campum procurrit, gladium vaginâ producit, Deum ad duellum provocat: quisquis ille foret, adeſset, paratum ſe illi cuſpidem mordendam objicere. Si fulmina mille in caput ſacrilegum, cœlum depluiſſet, mite erat futurum: mitior æquo terra, ſi inferos mille reſerâſset: ſed multò mitiſsimum fuit Divinæ Bonitatis conſilium. Schediaſma de nubibus ad pedes debacchantis devolat nive candidius hac manu inſcriptum; *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam* Quam in vecordi Juvene mutationem effecerit lectum oblatæ ultrò à Deo veniæ chirographum; quas lacrymas ab eo, quæ lamenta, quas ſacrilegii deteſtationes extorſerit; faciliùs erit cogitatione, quàm calamo conſequi: te appello, moribunde, & tamen adhuc pœnitentiæ negligens

gens Peccator. Fatebere, ſcio, quoties peccâſti, toties te DEO bellum indixiſse. Certabas tu cum illo peccatis, dum ille tecum certaret beneficiis. Immortalem depoſcebas ad mortem, & Herode crudelior, perditum ibas DEUM non infantem in ſtabulo, ſed regnantem in cœlo. Nam, ùt ait Bernardus: *In ipſum, (horribile dictu!) deſævit authorem, & quantum in ipſa eſt, ipſum DEUM perimit voluntas propria. Omnino enim vellet, Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo Deum non eſſe DEum.* (Serm. 3 de Reſur.) Vera ſint hæc, ut ſunt veriſsima, ô Paccator, omnia. Si tamen, ut blaſphemo illi gladiatori contigit, miſericordiam ſuam, miſso cœlitus chirographo tibi caveret DEus clementiſsimus, nónne continuò cum Prodigo ſurgeres? nónne ires ad Patrem? nónne in amplexus boni DEI rueres? nónne in lacrymas totus colliqueſceres? Certiorem ego tibi, ô bone! divinæ clementiæ cautionem in manus conſigno, quæ te nec fallere vult quia eſt Bonitatis æternæ, nec fallere poteſt, quia ſapientiæ infinitæ; útq; de illius certitudine ſine novo ſcelere dubitare non poſsis, eſt ſacroſancto Divinitatis jurejurando ſancita. Vis illam? *Vivo ego, dicit Dominus DEUS: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Et impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die converſus fuerit ab impietate ſua.* (*Ezech. 33. v. 11. & 12.*) Jam igitur de venia certus, de miſericordia divina ſecurus, quid ages, Moribunde Peccator? Ages utique quamprimum

pœni-

pœnitentiam: *quia appropinquavit regnum Dei.* Si te peccâsse pœnitet; quò es propinquior morti, hoc vicinior regno Dei. *Sin autem: movebitur candelabrum tuum de loco tuo:* (*Ap. 2. v. 5.*) & pro eo, quòd fulsurus eras instar lucernæ in regno DEI, ardebis ut titio æternùm in camino inferni: ac Deniq; (ut ibi desinat, unde cœpit adhortatio) si non laverit te suo sanguine per pœnitentiæ sacramentum Christus, non habebis partem cum Christo, sed à morte prima, *pars tua erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Sed hæc satis hactenus. Pharaonibus obduratis ista, qui plagis etiam morbisq; attriti nolunt ad cœlum mittere, vel potiùs cœlitus concessas admittere salutares ejusmodi cogitationes, quibus excitati sacrificent sacrificium Deo Spiritûs contribulati. alii sunt timentium Deum amantiúmque mores: quibus non est satis inferni periculis eximere sese, pœnas purgatorii evadere pro viribus satagunt. Sacram exomologesin crebriùs repetentes, cum Pœnitente Propheta ingeminant: *Ampliùs lava me, Domine, ab iniquitate mea! ampliùs! ampliùs!* nihil illis Contritionis actibus usitatius; nihil in ore frequentius, quàm, sævientibus doloribus, modò cum bono latrone ingemiscere: *digna factis recipio!* modò cum contrito Davide: *Priusquam humiliarer, ego deliqui* (*Ps. 118.*) & iterum: *Bonum mihi, Domine, quia humiliâsti me!* modò Psalmos ejusdem à pœnitentia dictos vel legunt, vel audiunt; S. Augustini exemplo, qui eos ante discessum ex hac vita, & legebat cum lacrymis ipse, & dicebat: *Neminem, etsi nullius sceleris sibi*

*conſcius eſſet, committere debere, ut ſine pœnitentia migraret è vita:* modò ad thesauros recurrunt Ecclesiæ indulgentias peccatorum hausturi, quas ut plenè obtineant, diligentiſsimè cavent, ne, niſi pronunciatis Sanctiſsimis JESU, MARIÆ & JOSEPHI Nominibus, migrent; útq; non solùm dignos pœnitentiæ fructus ferant, ſed augeant maximè, mortem ipſam & dolores acceptant á benigno numine in peccatorum ſatisfactionem; petunt imò injungi ſibi moleſtiarum omnium tolerantiam à Confeſsariis, ut hæc illis ad valorem Sacramenti elevata, *ex opere operato* (ſic loqvuntur Theologi) impendiò proſit. & quia non ignorant cum vita ſenſuum omnium facultatem dilabi, vel ſigna conducunt, quibus in agone ipſo petant à peccatis abſolvi; quæ ſigna ſi fortè dare non potuerint, voluntate præſenti futuram anticipant; deniq; nihil omittunt, quo ſe divino conſpectu reddere poſsint digniſsimos, atq; illud canere celeuſma: *Tranſivimus per ignem & aquam*, per ignem dolorum & aquam lacrymarum, *& deduxiſti nos, Domine, in refrigerium. (Pſal. 65. 12.)* Eorum exempla, Moribunde, ſi ſecutus fueris, eſt cur ſperes præmia. O ut mihi, ut tibi perinde quondam gloriari liceat, ac licuit S. Petro de Alcantara terſiſsimo Pœnitentiæ ſpeculo, qui eodem, quo exſpiravit momento in cœlum ferri viſus eſt Sanctæ Tereſiæ, dixiſséque poſtea auditus: *O felix pœnitentia, quæ mihi tantam promeruit gloriam!*

# CAPUT IV.

## *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit*, Matth, 26. Marci 14.

UT scilicet nobis illud esset non tantùm viventibus vitæ alimentum, ærumnarum solatium, gaudiorum scaturigo, amoris incentivum, cella voluptatis, meta desideriorum, necessitatum omnium remedium: sed etiam ex hac vita abeuntibus in procinctu suffragium, in æstu tentationum umbraculum, in conflictu cum hostibus scutum, in enavigando hujus mundi pelago vehiculum, in æternitatis itinere securum Viaticum; ut ipso Christo duce, quò tendimus, prospere perveniamus, & unde miseri per peccatum excidimus, felices eódem per gratiam redeamus. De hoc igitur commeatu sibi tempestivè provideat, hoc se scuto præmuniat, æternitati, quàm tempori propinquior Homo Moribundus, maximæq; gratiæ loco reputet, quòd ad DEUM iturus, DEUM ipsum viæ ducem ac comitem habere ipsi liceat. Et verò, quæ major felicitas, quàm non priùs hospitiolum deserere corpusculi hujus, quàm hospitem Christum in SS, Sacramento venientem accipere? aut quæ lautiores cupediæ, quàm ad cœnam Agni Immaculati propediem antequam accumbas, jam nunc ad vitæ vesperam illius tragemata veluti prælibare? Sit mihi fas, quod sentio, eloqui. Si neque æterna, quam sperare

 debemus,

debemus, extaret beatitudo, neque nobis quidquam à Deo boni provenisset in vita; satis tamen supérque nostros omnes totius vitæ labores pro Deo susceptos remuneratum iri, si vel semel in vita SS. Eucharistiam sumere daretur. Tormentis omnibus, quæ cogitare possumus, meretur hic gustulus emi. Neq; de æterna illa tantummodo, sed hac etiam Sacramentali fruitione Christi meritò Martyr Ignatius dixerit: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum Divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantùm ut Christo fruar!* Ex quo prudens quisq; facilè conjecerit, quæ demum Præparatio præmittenda sit sumendo extremùm sacrosancto Viatico. nimirum, qualis nunquam antea. in fine velocior motus: & vis flammæ maxima in acumine. aliæ sunt amicorum curæ discedentium ad tempus, aliæ æternùm sibi inter sese valedicentium. Siquis illud carmen Publ. Ovidii, *Cùm subit illius tristissima noctis imago*, modò ne sit saxum, attentiùs legerit, quo Poëta domui, conjugi, liberis, patriæ salve tristissimum flet magis, quàm canit; etsi sciat illam pœnam meritum, nescio, an tenebit lacrymas. quid Ephesios ad ingentem complorationem, ad amplexus, ad oscula Paulo inferenda coëgit? *quod non essent faciem ejus ampliùs visuri.* (*Act, 20. 38.*) Alii sunt (repeto) affectus amantium, cùm invicem divelluntur tempore, alii, cùm perennitate. Felicior, scio, nos manet conditio, si visuri simus (uti speramus) Christum in specie per gloriam, quem hîc videmus per fidem in ænigmate; unde nobis videndi

potiùs,

potiùs, quàm flendi occasio datur: sed ego hîc non tam doloris, quàm amoris lacrymas, oscula & amplexus requiro, atq; illud affirmo: quando ultimâ vice Dilectum cordis nostri sumimus, illiq; valedicimus, majori quâdam ac diligentiori curâ reverentiæ, amoris, puritatis, fidei, humilitatis, ceterarúmq; virtutum istud à nobis præstari oportere. Utquid enim sacram synaxin adeuntibus svadere solemus, ut ad eam sic accedere nitantur, tanquam posthac ampliùs nunquam accessuri? an verò minùs valoris ad diligentiam in nobis excitandam habebit res ipsa existens, quàm imaginaria illius apprehensio? Sed hæc in genere. Sumpturo divinum Viaticum Card. Bellarminus, svadet, ut singula pensiculatè ruminet, iisq; se ad pietatem extimulet, quæ illâ Ecclesiæ, beneficium Eucharistiæ admirantis Aspiratione continentur: *O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Paßionis ejus, mens impletur gratiâ; & futuræ gloriæ nobis pignus datur!* Pulcherrima, nec minùs fœcunda, quæq; semper à Communicaturis instituenda esset, meditationis devotæ materia! Nam, si Sumptio SS. Sacramenti *Convivium* & quidem *sacrum est*; ergo *sancta sanctis* dentur necesse est; neq; fas erit ad illud aut illotis manibus, aut sine veste nuptiali, hoc est, munditie animi morúmq; innocentia accedere: si *Convivium* est nobilium ferculorum apparatu magnificum; quæ sunt divinitas, & humanitas, & ex utraq; harum constantis Personæ Christi Dignitas, Sapientia, Bonitas, Potentia, Sanctitas, Pulchritudo, aliæque infinitæ Perfectiones, Merita & dotes;

dotes; ergo requiretur in convivâ respondens his dotibus altissima æstimatio, admiratio, laus, adoratio, actio gratiarum. Si hoc in Convivio *Christus sumitur*; ergo illum qui sumit, perinde debebit converti in Christum, atq; in hominem alimentum: ergo iisdem cogitandi, loquendi, agendi moribus enitere, eâdem patientiâ, mansvetudine, modestiâ, humilitate, Patris æterni amore esse præditum conveniet. *Si mens impletur gratiâ*; quoniam illius plenitudo, respondet sumentis dispositioni, ergo sinus affectuum omnes dilatandi erunt, ut tantò ampliùs hauriatur gratiæ, quantò major erit contentio diligentiæ. *Si recolitur memoria Passionis Christi*; ergo appareat in Convivantis opere, quod pertractatur in mente, & pro quo moritur Christus, mortem pro Christo subire non renuat Christianus, lentam sustineat, si nequit violentam; tótq; de se offerat Sacrificia, quot paratus est mactare perversæ voluntatis desideria. *Si futuræ gloriæ nobis pignus datur*; ergo cedat securitati timor, spei desperatio, diffidentia fiduciæ. Salutem dubitare non potest, qui salvatorem habet. Prævalet pignus oppignorato valori. qui dedit pignus gloriæ, dabit & gloriam: dabit coelum, qui coelo pretiosius dedit Sacramentum.

CAPUT V.

# CAPUT V.

## Argumenti ejusdem Prosecutio.

His, nisi fallor, similibúsq; cogitationibus volebat mentes imbui extremè Communicantium Bellarminus Mihi verò hæc eadem documenta, sanctè sumendi SS. Viaticum, in Elia Propheta per Angelum pasto, aptissimâ quâdam ratione videntur expressa. (3. *Reg.* 19.) Jezabelem furentem fugiebat Vates Zelantissimus, cùm de via lasso, ac sub junipero dormienti Angelus panem & aquam offert, soporem excutit, dicens: *Surge & comede: grandis enim tibi restat via: qui cùm surrexisset comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus, & 40. Noctibus usq; ad montem Dei Hereb.* Quid aliud agimus in vita, quàm arrogantem mundum, sævientem diabolum, lascivam Carnem, triadem nequissimam in una *Jezabele* superba, feroci, impura (hoc enim nomen *sterquilinium* olet) repræsentatam nobísq; insidiantem tum fugâ, tum luctâ evadere nitimur? & id quidem tamdiu, dum, aliquando tandem in lethalem lectulum decidui, non tam quietem & umbram (nisi fortè mortis) quàm dolorem capimus: ubi postquam vix respiravimus à laborum tumultibus, exspirandum est; imò eundum ulteriùs, & decurso temporis spatio, emetiendum (si tamen emetiri potest, quod infinitum est) iter æternitatis. *Grandis*

*adhuc nobis restat via.* grandis enimverò, non tam locorum tractu, quàm æstimatu termini. uno passu peragitur, sed quàm lubrico! quàm periculoso! ubi cecidisse semel, est jacere semper. grandis! non temporum morâ, sed secuturâ vel æterni boni, vel æterni mali perpetuitate. Grandis via grande viaticum exigit. Et ecce profusam in nos manum divinæ Providentiæ! *Cibum grandium*, Viaticum offert, Angelorum, hoc est, Sacerdotum manibus paratum, quanquam farinæ specie velut cinere inspersum; cujus fortitudine roborati perveniamus ad illam usq; patriam, quæ propter bonorum omnium excessum, voluptatum affluentiam, stabilitatem felicitatis, DEI Triunius præsentiam ex merito dicatur *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est DEO* (cum Electis omnibus) *habitare in eo.* ps. 67. v. 17. Vide nunc, qui hoc Viatico frui decrevisti, qualis esse debeas. *Elias* videlicet *Jezabelem*, seu omnem animi corporisq; *impuritatem* exosus & fugiens, amore divino Zelóq; ardescens, cujus *verba* seu oris, seu pectoris, quibus Christum Hospitem extremùm alloquêre, *quasi facula ardeant.* *Surgas* item oportet per pœnitentiam (de qua proximo superiori capite) excusso pestilenti peccatorum lethargo: *assurgas* per spem, nihil dubitando te cœnaturum cum Christo, cum quo pransus es in exilio. ubi verò spe & fide assurrexeris, per humilitatem in abyssum tui nihili dejicere, cinere & pulvere te viliorem reputans, quando præsertim videris tui causâ DEUM usq; ad pulveres Eucharisticos sese demisisse.

Et

Et quia non tantùm fatigatum de via, ſed famelicum, & ut ait Tertullianus, *arido ore properantem in Horeb Prophetam pavit Angelus*, ſitim ante omnia, & famem ad hanc menſam adferat Moribundus: qualem vel Magdalena de Pazzis, quæ Sanctæ Synaxis deſiderio horas numerabat, tarditatis in currendo accuſans: vel Catharina Senenſis, quæ tardiuſculè cum Sacramento veniente Confeſsario; *Eſurio, Pater* (clamitabat) *cibum animæ citò, per Deum! porrige*: vel Philippus Nerius, cui ſummo manè communicare cupienti cùm Cardinalis ſeriùs Euchariſtiam adferret, quòd quietem ægro interturbare nollet: *Atqui ego*, inquit ille, *idcirco totâ nocte ſomnum capere non potui*. Ad primum verò allati SS. Sacramenti conſpectum, collectis, ut erat æger, viribus ita exclamavit: *Ecce amorem meum! Ecce amorem meum! ſolus hic mihi ſemper erat in amoribus! Amorem mihi meum porrigite!* Nimirum hoc Manna ante diem colligitur: his bonis eſurientes implentur: hanc ad aquam veniat, qui ſitit: deſiderio deſideret hoc Paſcha manducare, qui cum optato fructu manducare deſiderat. Sic & ſatiabit pleniùs, & meliùs ſapiet. Saporem verò mirum quantum augebit *Juniperi Umbra*, ſeu illius arboris, *quâ Vita mortem pertulit, & morte vitam protulit*; quæ licet videatur aſpera, & frequenti acumine horrida, ſalubrem fructum profert; cujus ſi ſingula grana, ſingula, inquam, Paſsionis myſteria diligenti conſideratione commolas, veneni omnis, & quidquid vel tibi nocere, vel timeri à te poteſt, eris ſecuriſsimus. Et iſtud eſt, quod dicebat

Apoſtolus: *Quotiescunq; manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis (1. Cor. 11. 26.)* Porrò illud prætcrea in illa refectione Eliæ obſervandum venit, quòd non ſemel tantùm, ſed iterum juſsus ſit Propheta ſumpto cibo potúque grandem viam ſibi alacriorem reddere. Sic enim ſacra pagina: (3. *Reg. 19, 7.) Reverſúsq; eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitq; illi: ſurge; comede: grandis enim tibi reſtat via.* Quo facto erudimur, ut grandem æternitatis viam ingreſsuri hoc Pane cœleſti ſæpiùs refici velimus. Per modum Viatici ille quidem datur, cùm mortis periculum imminet: at citra hunc ritum, ſi, ſpectatâ temporis, morbi, perſonæ, opportunitatis ratione, ſæpiùs ſumatur, hoc meliùs fiet. In Societate JESU infirmis, præſertim Sacerdotibus, ne quotidianam quidem communionem negandam eſse cenſuit Præp. Gen. Vinc. Carafa. Sacerdos Eccleſiaſticus quò minùs alternis diebus communicet, ſi commodè fieri poteſt, quid prohibet? Sed eſt deploranda multorum ſocordia, qui cùm infirmitatem in multos menſes protrahant, ut vel ſemel divino epulo veſcantur, non jam tangi, ſed velli, ſed concuti, ſed impelli debent Quid agitis faſtidioſi mortales? in medicinas ſubſtantiam & opes exhauritis, & *Pharmacum immortalitatis* negligitis? Gemitis, doletis, querulamini, dolorum acrimoniam incuſatis, & conſolatorem renuitis? Quin illum acceditis, vel potiùs accedentem admittitis, qui vos ſolari mœſtos, recreare debiles, reparare fractos, jacentes erigere, ſanare infirmos, plus

dicam,

dicam, mortuos exuscitare potest. Nam, ut ait Ambrosius: *Omnia nobis Christus est, & omnia habemus in Christo.* (*Lib. 3. de Virg.* Si Christus nobis est omnia: ergo & solatium, & quies, & medicina, & salus, & vita, & gratia, & corona. Sic est: illum qui habet, dicere cum Francisco potest: *DEus meus & omnia.*

Jam ergo, Moribunde, accepto Christi sanctissimo Corpore, vide ne cesses, cave desideas, vel torpescas, *ambulandum* cum Elia est *in cibi fortitudine*; procedendum, non de loco ad locum, sed de unius virtutis, ad alterius ardentissimum affectum. Eat totus animus & feratur in DEUM, seq; in illius brachia conjiciat. Modò, cum eo, ut Jacob, luctare, & dic: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Gen. 32. 26.*) Modò illum tene cum Philothea, & protestare: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Modò cum Simeone cubitis implecte, & clama: *Nunc dimittis servum tuum. Domine, secundùm verbum tuum in pace.* (*Luc. 2. 29.*) Modò cum Emmautinis ad commanendum coge, & insta: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinatur jam* vitæ *dies:* (*Luc, 24. 29.*) Modò cum Francisco Seraphico ut mendicus ditari, ut nudus vestiri, ut reus absolvi, ut filius in hæreditatem induci postula. Modò illum cum Augustino hinc paulò pòst migraturo saluta: *Ave Principium nostræ creationis & reparationis: Ave sacrificium nostræ reconciliationis: ave antidotum nostræ curationis: ave Viaticum nostræ peregrinationis: ave*

*solati-*

*ſolatium noſtri laboris: ave refugium noſtræ tribulationis: ave præmium noſtræ expectationis* Perge deinde in concitandis aliis affectibus, gratiarum actionis, fidei, ſpei, charitatis, reſignationis, petitionis, nec priùs ab exercendis deſiſte, quàm pervenias à valle lacrymarum *ad montem* gaudiorum, ubi ( quod moribundis optat Eccleſia ) *Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aßiſtens maniſeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem.* ( Commend. anim. )

## Caput VI.

### *Cœpit JESUS pavere, & tædere, contriſtari, & mœſtus eſſe.* Marci 14. v. 33. Matth. 26. 37.

JAm incipiunt myſteria. Non enim fruſtra pavet, & contriſtatur JESUS. Non fruſtra timet virtus DEI, non fruſtra tædio afficitur, per quem puſillanimes recreantur: non fruſtra contriſtatur, quo abſente triſtamur, quo præſente lætamur. Pavet tamen JESUS & tædio languet, & contriſtatur, & mœret; & tum contriſtatur, cùm mors acerba imminet, cùm Judas appropinquat, lictor flagella parat, miles crucem expedit. Omnia iſta innuunt aliquid, indicare volunt aliquid. Neque enim ſibi timere poterat, qui ſe morti ultro offerebat, nec ſibi mœſtus eſſe, qui gaudii fontem ſemper domi habebat, quippe cujus anima divino in lumine DEUM ſemper videbat.

Cui ergo timet, aut cui contriſtatur JESUS? Tibi, Moribunde, timet, tibi mœret, tibi contabeſcit, tibi triſtatur JESUS. Timet ille mortem, ut tu timere deſinas; pavet, ut cum Ambroſio dicas: *Mori non timeo, quia bonum Dominum habeo.* triſtatur ille, ut mœſtitiam, quam ipſe prævidit, abſtergas: tædio languet, ne te præ doloribus vivere tæderet, præ horrore mori; Sciebat ille non poſse niſi timeri à te, quod terribilium omnium eſset terribiliſsimum, & idcirco ne tu Libitinæ terrore exanimarêre, huic ille ſe ſpectro terrendum permittit: *timor*, inquit, *& tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* (*Pſ. 54. 6.*) Sciebat ille cum mortis periculo plerumq; & timorem adeſse: Sciebat, quod aliquando ad ſuos ſcripturus erat Magnus Orientis Apoſtolus Franc. Xaverius in illam ſententiam: Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam, *Quæ quidem ſententia* (loquitur ille lib. 2. epiſt. 3.) *cogitanti facilis eſt, experienti non item. Ubi enim tempus incidit, cum vita amittenda eſt, ut eam in Deo invenias, cùm mortis periculum intenditur, ſic ut facilè proſpicias, ſi DEO pareas, vitam eſſe dimittendam; tum verò neſcio quomodo fit, ut, quod ante præceptum dilucidum videbatur, incredibili involvatur obſcuritate. Nam nè doctiſſimi quidem viri tam præclaræ ſententiæ vim conſequuntur; ſed ii duntaxat, quos ſingulari beneficio DEUS ipſe interior Magiſter inſtituit.* Et in eundem planè ſenſum lib. 1. epiſt. 5. *Ac mihi*, inquit, *credite, Fratres cariſſimi, etſi hujus ſententiæ verba generatim facillima ſint ad intelligendum: tamen,*

*tamen, ubi tempus incidit, cùm statuere oportet, tibi pro DEO vitam amittendam esse, & mortis discrimen adeundum: usq; eò eadem sententia, etsi clarissima sit, obscura fieri solet, ut is modò eam intelligat, cui pro sua benignitate declarârit DEUS.* Quæ ut de repentino mortis discrimine scripserit Xaverius: tamen etiam de instante, quanquam sæpe cogitata morte non ineptè intelligi possunt. Nam & tunc *Pavet animus, horret, grande præsagit malum*: & quod expetebat antea, jam timet. Hæc ergo cùm sciret JESUS, voluit obrui tristitiæ tenebris, ut tu clarè videas, Moribunde, mortem nihil esse mali, nisi fortè malis. Hic Christi timor fecit, ut Hilariones se ad excedendum animosè impellerent: *Egredere anima mea, quid times?* ut accepto mortis brevì venturæ nuncio Aloysii, *Te DEUM laudamus*; Berkmanni, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibimus*, Ludovici Erhardi: *Benedictus DEus! hoc est tempus, propter quod in Societatem veni*! exclamarent: Francisci Suarezii ex agone ipso tantisper respirantes dicerent: *Nunquam putabamus, tam dulce esse, & tam suave mori.* Hic Christi mœror fecit, ut inter crudeles mortis satellites, hoc est, Cruciatus dirissimos Martyres riderent, Tiburtii rosas in prunis calcarent, Spinolæ, & Camilli Constantii inter flammas *sanctus! sanctus! sanctus!* Marci & Marceliani uno in ligno crucifixi, *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, concinerent. Jam igitur per Christi pavorem devicto mortis aculeo, quid adhuc times, Moribunde?

Infer-

Infernum, inquis, timeo. Bonus timor. timuit & S. Bernardus, unde exclamabat: *O Regio extimescenda, regio fugienda! Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea.* Sed sic tamen timeas infernum, ut ne desperes cœlum. Quid times? Timeo, inquis, peccata mea & Judicem justissimum. Salubris planè timor. Nam, ut ait Eusebius Gallicanus, *magna est jam pœna peccati, metum futuri perdidisse judicii.* (*Hom. de bono Latron.*) Timuit Franc. Piccolomineus S.J. Generalis, qui tamen inculpatæ vitæ innocentiam à cunis ad canos protulerat, & dicebat: *Timeo peccata mea, & Judicem justissimum.* Sed quid præmiserat? *Non dubito quidem de divina misericordia. Absit! hoc non. hoc nunquam in æternum.* Et tum subjiciebat: *Timeo tamen Judicem justissimum.* (*Nadasi Pretios. Occup.*) Sic igitur timeas justitiam Judicis, ut ames misericordiam Patris. Quod si nihilominus, etiam cùm sanus multa de morte cogitâsti, mortis timore naturali concuteris, si ariditas & tædium cor & pectus comprimunt, si tibi subtrahitur gustus ille & svavitas rerum diuinarum, quam habebas antea, si te molestiis & anxietatibus impugnari sentis, conjice mentis oculos in Christum ex apprehensione teterrimæ mortis sangvineo sudore diffluentem, inspice Cor mœstitiâ & timore marcidum, vide animam usq; ad mortem contristatam: inde solatia pete, illius mœroribus tuos abisterge, timores frange. habes exemplum, sequere documentum; atq; certus esto, his quoq; terroribus patienter toleratis pœnas purgatorias

magnâ

magnâ tibi parte imminutum iri. Interim tamen observa simul, quâ se ratione mœstissimus Dominus in eo statu tam luctuoso gerat. Quid enim agit? Evangelistas audi.

# CAPUT VII.

## *Positis genibus, procidens in faciem suam super terram, orabat.* Luc. 22. v. 42. Matth. 26. 39. Marc. 14. 35.

NImirum, quod per Apostolum svasurus erat verbo, præoccupavit exemplo. *Tristatur aliquis vestrûm? oret.* (*Jac. 5. 13.*) Non igitur sese in querelas effudit, non cumulavit lamenta, non à discipulis solatiola mendicavit: sed ad Patrem divinum, Patrem misericordiarum, & DEUM totius consolationis recurrit. Oratio illi erat adversùs timorem fortitudo, mœrorem solatium, pavorem robur. Ac nè dolorum acerbitate ab orando deterritum putes, *factus in agonia prolixiùs orabat.* Quàm id præclarum ægris quibuscunque & Moribundis exemplum! quod, si secuti fuerint, invenient in mediis tristitiæ amaroribus, limpidos solatiorum fontes, poteruntq; *sugere mel de petra, oleúmq; de saxo durißimo,* Quod si *oratio Sol est animæ,* Joanni Chrysostomo, nebulas mœstitiæ discutit, si Ascetis omnibus spiritualis panoplia sive armamentarium, omnes dæmonis insultus elidit. Hinc prævidens Christus ante Passionem

graves

graves discipulis tentationes imminere, ad orandum stimulat: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem* (*Luc.* 22.) Sed non satis illi fuit admonere; fecit. Nam ùt est apud S. Lucam: *Cùm pervenißet ad locum, dixit illis, Orate, ne intretis in tentationem; & ipse avulsus est ab eis .... & positis genibus orabat: Pater, si vis transfer calicem istum à me.* Itaq; quod monuit, exemplo sancivit. *Orat* ergo *Misericordia*, (libet hîc cum Cæsario Arelatensi demirari *Serm.* 29.) *& non oret miseria? Orat charitas, & non humilietur iniquitas? prostratus in terra orat Medicus, & non inclinetur Ægrotus? orat innocentia, & non oret nequitia? Orat, qui peccatum non fecit, & non oret multis peccatis obnoxius? orat Judex, & desiderat parcere; & non oret reus, ut indulgentiam mereatur accipere? orat judicaturus, & orare dissimulet judicandus?* Non dissimulavit sanè & prudenter Ezechias Rex, sed *cùm ægrotâßet usq; ad mortem, & introißet ad eum Isaias Propheta; dixißétq; ei: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives; convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum, & flevit fletu magno,* (*Isa.* 39.) Cujus fletûs & orationis ea fuit vis, ut ejus vitæ Dominus 15. annos adjecerit postea, séq; illum & civitatem illius de hostili manu erutorum adpromiserit. Hujus te Principis, Ægrote, si exemplum & lacrymæ ad orandum non movent; at moveat Regis Regum & Dominatoris Dominantium JESU Christi multò ardentior pietas, qui non tam ex dolore suo, quàm tui amore usq; ad mortem languidus, eámque pro nobis

jam diu expectatam brevi ſubiturus, procidit ad terram, vultúque ſuo ad illam converſus, ubertim profundit non ſolùm ex oculis lacrymas, ſed ex toto corpore ſangvineas guttas, Patrémq; Æternum non tam pro ſua, quàm tua ſalute humillimè juxta atq; ardentiſsimè deprecatur: ut tu quoq; diſcas & precibus lacrymas, & lacrymis preces cumulare, quibus non ita vitam proroges temporaneam, quàm lucreris æternam, déque manu dæmonum tibi inſidiantium ſingulari DEI præſidio eruâre. Et revera quo pacto, ſub hoc tempus tam bellicoſum, Duci malorum omnium diabolo reſiſti ſine orationis armatura poſsit, equidem non video: Omnes ille machinas nocendi tunc adhibet, cùm de vita hominis actum eſse videt, éſtq; hoc ferocior, quò homo infirmior. Nunc ſagittas vibrat vanæ gloriæ veneno clàm illitas, nunc excutit lanceam deſperationis, nunc blaſphemiæ pugionem intentat, nunc gladium ſtringit incredulitatis, nunc alia tentationum tela promit; ſi galea, ſi clypeus, ſi lorica orationis deſit, quomodo tot ictus in unius animæ perniciem facti elidentur? *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*, Moribundi Homines! & aurei ſermonis Præſuli Chryſologo credite: *In tentationem vadit, qui in orationem non vadit.* (*Serm.* 43.) Ne vos inermes, hoc eſt, ab orationis armatura deſtitutos reperiat, qui contra vos in decretorium certamen veniens, *deſcendit ad vos* (ut S. Joannes ait) *habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habeat ad nocendum* (*Ap.* 12. 12.) quando ille exaggerat iras, vos orandi ſtudium augete. Chriſtus

in

in agonia factus, prolixiùs orabat. quod *agonia* Græcis, hoc *certamen* Latinis. Certamen instat? orandum prolixiùs, si non tractu temporis, contentione ardoris. Si orare non potestis ipsi, ut alii pro vobis orent, orate. Agonizantes vel agoni propiores, quin pro vobis, vel vobiscum oret, admittite neminem. Sine armis precum cum Inimico confligere, est illi herbam porrigere. Nam cùm pro toto vitæ tempore, tum pro illius fine maximè valet illa Pauli Apostoli adhortatio: ( *Eph. c. 6. v. 10.* ) *De cetero fratres, confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam DEI, ut possitis stare adversùs insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem & sangvinem: sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam DEI: ut possitis resistere in* DIE MALO, *& in omnibus perfecti stare.* Neque verò dolorum acerbitas Moribundum ab orando excuset: inflammare illum potiùs ad precandum deberet, non sufflaminare, calcar illi, non frænum subjicere. Faber dum Ferrum mollit, ut ignem irritet, frigidâ inspergit: sic morbi vehementia acriorem orationem efficiat. Sancto Parenti Nostro ætate, laboribus, pœnitentiæ asperitate fracto moris erat dicere *Nihili jam valeo, nisi tantùm ut orem.* Modestiæ vox erat: orabat enim ille, & societatem unà vigilibus curis gubernabat. Quoties ex Infirmo audias: Omnia mihi dolent: nihil planè valeo: tædium est undique: ad nulla n

rem sum aptus. Credo, mi Lazare, & plene assentior. Non est integrum eadem præstare infirmis, quæ sanis. Templa circuire, canere in choro, concionari, Sacramenta administrare, nosocomia visere, & infinita alia meritorum feracissima, fateor, non potes præstare: sed mentem ad DEUM elevare potes. nihil vales, nisi tantùm ut ores. Nec orare, inquis, præ nimiis doloribus possum. Esto. non possis multa, at potes multùm: diu non possis, potes breviter & per intervalla: si non ore; corde. Quid brevius illo Davidis jaculo: *Peccavi Domino!* aut illo Jobi: *sit nomen Domini benedictum*: aut illo boni latronis: *Memento mei Domine!* aut illo Ignatii M. *Amor meus Crucifixus est!* aut illo S. Franc. Salesij: *Vivat JEsus!* aut illo Teresiæ: *aut pati, aut mori!* aut illo Xaverij: *Amplius! amplius!* aut illis longè plurimorum aspirationibus. *Credo! Spero! Diligo! Orantes nolite multum loqui*, (*Matth. 6. 7.*) ait Christus. hoc est: *Cùm oras, clama, non voce, sed mente*; (*Serm. de Quadr.*) ut explicat Augustinus. Plus esse debet in oratione affectionis, quàm vocis; plus cogitare quàm loqui oportet. Potest DEUS homini, potest homo DEO multa paucis loqui. Redivivus à morte Christus hoc unum Magdalenæ dixit: *Maria!* & erat vox benignitatis, suavitatis, affabilitatis, humilitatis, adorationis, amoris, gaudii, salutationis, gratulationis. Scilicet non refert, quid dicamus, sed quid Deo dicere velimus. Unâ voce, *DEUS!* omnes affectus, qui fuerunt, sunt, erunt elicies, dum velis. Paciscere cum DEO, & jam voluisti.

Quam-

Quamobrem frustra difficultatem orandi causamur sive sani, sive infirmi simus: frustra ab orando nescio quibus ineptiis & nugis impedimur, quas ut nobis de manibus, quemadmodum pueris in scholis præceptores solent, excuteret sapientissimus Siracides, monet: *Non impediaris orare semper, & ne verearis usq; ad mortem justificari.* (*Eccli. 18. 22.*) Quod eleganter expressit S. Nilus apud S. Maximum Martyrem & Philosophum, dicens: *quemadmodum respirare nunquam est intempestivum, sic neq; postulare à DEO postulationes mysticas usq; ad extremum spiritum.* Sicut ergo nihil connaturalius respiratione, sic nobis oratione nihil esse deceret facilius. *Os meum aperui*, cantabat Psaltes Regius, *& attraxi spiritum.* (*Ps. 118.*) attrahes & tu, Moribunde, spiritum refrigerii contra desolationes, Spiritum fortitudinis adversùs tentationes, si os aperueris in oratione. Sic respirare, & aspirare nunquam est intempestivum. Sic, S Nilo auctore, respirare oportet usq; ad extremum Spiritum. Intellexit hujus vim consilii, ut innumeros alios præteream, Ludovicus Granatensis. Vir scriptorum gloriâ toti mundo cognitus, qui ad extrema vergens, orabat omnes, ut cubiculo, qui aderant, egrederentur: cupere sese cum DEO solo colloqui: quibus vix egressis continuò suspiriis & gemitibus DEUM sibi propitium reddere studebat. (*Vit. c. 14.*) De S. Martino Turonis Episcopo quis nesciat? Hic oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Cúmq; in ipso febris æstu supinum orantem viderent discipuli, suppliciter ab eo pe-

tierunt, ut converſo corpore, tantiſper dum remitteret morbi vis, pronus conquieſceret: *ſinite me*, dicebat Martinus, *cœlum potiùs, quàm terram aſpicere, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.* Felices, qui cum S. Martino invictum ab oratione ſpiritum non relaxant. qui orationem vitæ ſuæ imponunt coronidem, coronabuntur in miſericordia & miſerationibus. Nam qui dicere cum Pſalmiſta poteſt: *Benedictus DEus, qui non amovit orationem meam à me*, poterit idem cum eodem dicere: (*Pſ.68.*) *Benedictus DEus, qui non amovit miſericordiam ſuam à me!*

## CAPUT VIII.

## *Pater, non mea voluntas, ſed tua fiat.* *Luc. 22. v 42.*

HÆc erat Chriſti inter mœrores, tædia, triſtitias, ſudorem ſanguineum, agoniam conſtituti oratio. Qui tametſi præmiſerit: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*; quâ ſe voce hominem mortis acerbæ horrore perculſum probavit: tamen illicò ſubjecit: *verum tamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*; ſuámqve voluntatem divinæ perfectè ſubjecit. Hæc eadem oratio Moribundis usque omnibus eſt adeò neceſsaria, ut, ſi cetera deeſsent, ſive à virtutibus, ſive à ſacramentis, ſive ab ope humana, ſive à cœlo expetita bene moriendi præſidia; conſignatio una noſtræ voluntatis in Deum, ſupplere omnia & poſsit, & debeat.

Præcla-

Præclara sunt hanc in rem Blosij Documenta. Eo libro, quem *Farraginem utilium precum* inscripserat, hanc animi heroici resolutionem his verbis commendat: *Homo resignatæ voluntatis, qui in quibuslibet tentationibus, angustiis, & doloribus suis novit amanter fidere DEO, securéq; se, & omnia sua paternæ providentiæ illius committere; is planè cor Dei vulnerat & ipsum Dominum cogit sibi adeße.* Quàm autem sit proficua in extremis constituto homini, ejusmodi in Deum fiducia, idem ità declarat: (*consolat. Pusillan. pag. 328.*) *Nullum*, inquit, *exercitium in extremis utilius eße potest, quàm ut quis seipsum ex integro divinæ voluntati resignet: humiliter, amorosè, plenéq; confidens in immensa DEI misericordia ac bonitate. Fieri enim nequit, quin is, qui in hujusmodi vera perfectáq; resignatione cum sancta erga DEum fiducia ex hac luce exit, confestim ad regna cœlestia evolet. Nam sicut nihil omnino pœnæ, nihil ignis purgatorii in DEUM cadere potest: ità nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem amorémq; DEO unitus est. Hoc animo justus ille Latro moriebatur in cruce, qui non salutem corporis à Domino postulavit, nec oravit, ut à pœna purgatorii servaretur; sed libenter pro peccatis suis, próq; DEI gloria moriens, se totum in divinam resignavit voluntatem, se totum Christo obtulit, ut ille secum ageret, quidquid vellet. Quòd si morte imminente infirmitas naturæ mœret, aut trepidat; hujusmodi etiam mœstitia & formido in DEum per resignationem projicienda, ac certa spes in eum concipienda est. Mors*

*Christi mortem tuam soletur, ille præcessit, præcesserunt & innumeri electi ejus: non igitur pigeat te sequi.* Hæc Abbas Lætiensis; conformiter planè illi tam succincto, quàm nervoso Magni Augustini dicto: *Projice te in eum; non se subtrahet, ut cadas.* In DEUM se projicit, qui se voluntati illius omnino regendum committit. *Talem animam, quæ*, ut ait Blosius, *confestim hinc ad cœlestia regna evolat*, nihil dubium quin Angeli ipsi comitantes mirentur & dicant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, innixa super dilectum suum.* (*Cant. 8. 5.*) Est enim profectò non humanâ tantùm, sed & angelicâ admiratione digna virtus, h... nihil omittere vel studii, vel laboris, vel industriæ, quod ad bonæ mortis felicem exitum conducere videatur; inde verò ita se DEI voluntati arbitrióq tradere, ut is cum suo plasmate, quidquid velit, faciat; perindéq; se gerere, quasi in solius DEI manibus omn's salus & tota felicitas Moribundi consisteret, prout re verà consistit. hoc nimirum est S. Petro Apostolorum Capiti auscultare: *Humiliamini sub potenti manu Dei .... omnem solicitudinem vestram projicientes in eum: quoniam ipsi curâ est de vobis.* (*1. Petri 5.*) Ad hujus verò tam præclaræ virtutis perfectionem, ut exemplo Christi perveniamus, observandus erit triplex Modus, quo ille se in Patris sui voluntatem resignavit. Primùm enim ad moriendum sese velut generatim obtulit, cùm dixit: *Non mea voluntas, Pater, sed tua fiat.* Quo exemplo instructus, certò apud se Moribundus statuat, ut moriatur, esse voluntatem DEI. *Statutum est hominibus*

*semel*

*semel mori*; (*Hebr. 9. 27.*) & quoniam *DEI nutibus omnia vitæ nostræ momenta decurrunt*, nefas sit dubitare, mortem nobis sine ipsius nutu accidere, de quo personant illæ, æternæ Veritatis voces; *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* (*Job. 14.*) Et, *Ecce mensurabiles posuisti dies ejus.* (*Ps. 39.*) Et, *Deus creavit de terra hominem: numerum dierum & tempus dedit illi.* (*Eccli. 17. 1.*) Quò respiciens Prosper Aquitanicus: *Quis nescit*, inquit, *intra unam conditionem Mortalitatis humanæ, ab unius horæ infantia usq; ad annosissimam senectutem exitus morientium impari ætatis fine variari, neq; cujusquam animam citiùs, vel tardiùs, quàm DEus voluerit à corpore, quod vivificat, abscedere?* Quòd si ne passer quidem de tecto cadit absq; voluntate Patris nostri cœlestis; an de statione vitæ in sepulchri foveam sine eadem voluntate cadet is de quo Tertullianus: *Homo, est ingenii divini cura?* (*de Resurrect.*) Cognitæ ergo voluntati DEI nè refragetur quisquam, sed mortem libenter acceptet à divina justitia quidem in peccatorum satisfactionem, à misericordia verò ut medium DEO æternùm fruendi. De P. Joanne Isenbranto, S. J. memoriæ proditur, cùm à morte septem jam vel octo horas in sarcophago positus jacuisset, distinctè ab illo tertiùm has voces fuisse pronunciatas: *libenter! libenter! libenter.* quâ illa tanquam antiphonâ solemni omnibus superiorum imperiis, dum viveret, respondebat. (*Nad. Pret. Occup. c. 24. n 3.*) Idem ante mortem & dicto & facto re-

ſpondeat æger, dum à Deo evocatur: libenter morior hâc ætate, hoc loco, hoc tempore. Pudeat provectæ ætatis, & prudentiæ homines ad mortis mentionem moroſè indignari, dum interim floridi adoleſcentes, genere & opulentiâ inſignes libenter moriuntur. Virtus eſt, velle libenter, quod Deum velle novimus. Hoc urget Cyprianus: *Meminiſſe debemus*, inquit, *voluntatem nos non noſtram, ſed DEI facere debere, ſecundùm quod nos Dominus quotidie juſſit orare. quàm præpoſterum eſt, quámq; perverſum, ut, cùm Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos, & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus. quid ergo oramus & petimus, ut adveniat regnum cœlorum, ſi captivitas terrena delectat?* Hæc S. Cyprianus *lib. de mortalit.* qui declarans, quantopere Deo diſpliceat mortem non libenti animo accipere, refert quandam revelationem ſancto Viro, collegæ ſuo factam. Huic in morte nimiùm ſolicito eámq; deprecanti, adſtitit ſubinde Juvenis (Angelum exiſtima) honore & majeſtate venerabilis, qui non ſine quadam animi & vocis indignatione infremuit, dixitque: *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Procul ab hac reprehenſione abfuit illa Chriſti & imitatrix & amatrix Tereſia, cujus votum unicum & teſsera fuit: *aut pati, aut mori!* quod votum utinam & nos, ſive vivimus, ſive morimur, in lingvis & factis ſemper haberemus! Illud deinde alterum in ea Chriſti Reſignatione obſervandum venit: quòd ſe non ſimpliciter ad moriendum ille, ſed ad illa quoq; omnia, quæ ei mortem

acerbam

acerbam & infamem effectura eſsent, paratum obtulerit. Ait enim: *Non quod ego volo, Pater, ſed quod tu.* Parabantur morituro fuſtes, flagra, ſpinæ, funes, catenæ, alapæ, convitia, contumeliæ, irriſiones, ſputa, falſæ accuſationes, crux, clavi, nuditas, ſitis, nervorum extenſio, ſolutio oſsium; potuiſset multa horum excipere; nihil detrectavit, ultro amplexus eſt omnia, certus ad ultimam usq; guttam calicem Paſsionis bibere. *non quod ego volo, Pater, ſed quod tu!* Ut videlicet, Moribunde, diſcas, non quod tibi, ſed quod DEO placuerit velle pati. Quare valdè imperfecta eſt iſta Reſignatio, cogitare; Volo quidem mori, quia DEUS vult, ſed absq; diuturna ægrotatione, citra hos, illósve dolores, iſto bene, ſed non illo morbo. Moriar; ſed in ætate decrepita; nollem me præteriret flos temporis. infirmitas hæc mihi tolerabilis non eſt, aliam quamcunque libenter admitto. qui ſic ſentit, is dicere verè cum Chriſto non poteſt: *Pater, non quod ego volo, ſed quod tu.* non eſt hoc ſuam voluntati divinæ, ſed divinam ſuæ accommodare velle.

Verùm altiùs ſe porrò extulit illa Redemptoris Magiſtri'q; noſtri ad mortem Reſignatio: quam ut in ſe oſtenderet omni ex partę abſolutam ſic Patrem oravit: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* (*Matth. 26 39.*) Non dicebat illi: volo prodi ac vendi, ſed non à diſcipulo tam leviter & callidè: comprehendi volo, ſed non ut latro facinoroſus tam turbulentè: cædi alapâ, ſed non tam inclementer: ſpinis pungi, ſed non tam atrociter: poſtponi, ſed non Barabbæ: crucifigi, ſed

citra

citra nuditatem: mori denique volo, sed non tam propudiosè; nihil horum dixit, ne cogitavit quidem paratissimus ad omnia DEI Filius; verùm & mortem ipsam, & illius circumstantias, & mortis modum Patris voluntati remisit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Norma bonæ mortis tibi verè erit JESUS Christus Patiens, Moribunde, si lubens acquieveris, quocunq; demum mortis & morbi genere (modò DEI gratiâ munitus) ex hac vita decedas, si nullâ tui habitâ ratione Deo te totum remiseris, nec pensi habueris, placidè, an violentè; domi, an peregre; hyeme, an æstate; calculo an febri, in amicorum, an lictorum corona moriâre. Sunt morbi, non oculis modò & naribus, sed vel auribus aliorum graves, ad quorum lanienam Deo se paratum offerre, non est tantivis meriti. Si eveniat vermibus scatere, viscera dissolvi, cancro exedi, ciborum fœces per os egerere, malum odorem latè diffundere, arceri ab accessu alios, si neque liceat, quæ summè petuntur, Ecclesiæ Sacramentis refici; siquis tamen ad omnia dicat: *Fiat, ô Domine, non quod ego volo, sed quod tu: nec sicut ego volo, sed sicut tu*; hunc ego non cum magnis sanctis comparo, sed ipsi DEI Filio simillimum judico: iterúmq; cum Blosio dico: *Fieri non posse, quin is, qui in hujusmodi perfecta resignatione emigret, rectà ad cœlum evolet.* Id quod locum habet apud eos maximè, qui in transfusione suæ voluntatis in divinam fuerint assidui. qua enim de causa Christus non satis habuit semel tantùm ad Patrem orationem fundere, sed *oravit tertio sermonem eundem repetens*; nisi ut

hanc

hanc voluntatis nostræ cū divina sæpissimè repetamus, conformitatem nihil ore,nihil corde versantes freqventiùs, quàm, *Fiat voluntas tua! Ita Pater! ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Hoc egit S. Martinus, cujus discessum cùm acerbissimè ferrent discipuli, ita precabatur: *Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Fiat voluntas tua!* Hoc egit II. Hispaniarum Rex, qui in fatali morbo divinæ voluntati devotissimus, illa Servatoris verba pœnè infinities repetebat: *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat*, cúmq; de S. Matthæo Evangelista Christi D. Passio ad apostema ferro secandum prælegeretur, jussit Rex ad illa ipsa Domini verba: *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat!* lectorem nonnihil subsistere; ideò videlicet, ut lentiore illorum consideratione animum adversùs vulnus roboraret. Hoc egit Pater noster Gosvinus, quando ex diuturnis, acribúsq; morbis decumbens, descriptam suâ manu, quam Ludovicus de Ponte in usu habebat, precatiunculam ob oculos positam assiduè ingeminabat: *Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me, & circa mea omnia sanctissima voluntas tua, in omnibus, & per omnia, nunc & in æternum.* Hoc idem egit raræ sanctitatis Frater S. J. Joannes Ximenius, cujus sub mortem rogati, num abire vellet in cœlum? ea responsio fuit: *Nihil volo, nisi quod Domino pridem spopondi, ut sanctissima ejus Voluntas perfectè fiat.* (*Nad. Pret. Occup c. 7. n. 2.*) Hoc pariter egit Carolus Casarius item de S. I. adolescens usq; ad mortem, vitæ integer, scelerisq; purus, cujus in supremis unica vox fuit; *volo, volo divinam*

*semper*

*ſemper in me voluntatem perfectiſsimè adimpleri.*(*ibid. n. 1. pag. 51.*) Addebat: ſe, ut faceret quod vult DEus, libenter in purgantibus flammis usq; ad ſupremum judicij diem, &, ſi ità iubeat, in æternum, quàm lubentiſsimè paſsurum, ſi Deus ità vellet. id quod iterum affirmatè repetiit, facturum ſe amore DEI, & voluntatis illius adimplendi gratiâ libentiſsimè: *ſéq;* ajebat *probè advertere, quid, quantúmq; dixiſset.* Hoc egerunt denique, quotquot Chriſtum Regem amare in vita, imitari in morte ſtuduerunt. quemadmodum enim omnia domeſtica privatorum horologia ad publicum totius urbis horologium: ſic voluntates illorum ad exemplum Chriſti dirigebantur. Eos tu imitari ſtudebis, Moribunde, illámq; veritatem à laudato ſæpius Abbate Bloſio profectam, altiſsimè tuæ menti imprimes, ità ſentiente: *Si dulcedine internâ repletus, & ſuper te ipſum elevatus, usq; ad tertium cœlum evolaveris, ibíq; cum Angelis miſcueris colloquia; rem tam grandem non facies, ſicut ſi gravamen & exilium cordis pro Deo tuo affectuoſè ſuſtinueris, ipsíq; Salvatori, conformatus fueris: qui in extrema triſtitia, tædio, pavore & anguſtia poſitus: dixit Patri:* Fiat voluntas tua.

( *Speculum Monachor. diviſ. 2.*)

CAPUT IX.

# CAPUT IX.

## *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sangvinis decurrentis in terram.*

*Luc. 22.*

ATHletarum omnium cum Morte ac Dæmone duellantium & Princeps, & Robur, & Agonotheta Christus JESUS, cum imminentibus sibi tot Æmulis quot cruciatibus, ipsáq; adeò Morte prælium initurus, in quo Mors & Vita duello conflixêre mirando, in collem olivarum secedit, ibiq; Atletharum more non alio, quàm suometipsius sanguinis olivo inungitur, teste Evangelistâ: *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quod istius tam miræ unctionis consilium? Suos ut milites exemplo instituat, antequam extremam cum salutis Hoste luctam aggrediantur, sacro sint oleo, quod vires & animos ad certandum præbeat, delibuti. Qua de causa, ni fallor, Ecclesia Mediolanensis, teste S. Bonaventurâ (*in 4. dist. 23. part. 1. a. 1 q. 4.*) usurpabat hanc formulam: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas superare possis potestates.* Usq; adeò benignus, & salutis nostræ solicitus procurator est Deus! non enim satis illi fuit contra ignea Nequissimi tela nos Orationis clypeo armare, in vitæ naufragio tabulam nobis Pœnitentiæ porrigere, Viatico Eucharistiæ nos ad iter æternitatis

munire;

munire; de ſacramento prætcrea extremæ Unctionis providit, ut pugnaturis aſsecuraret victoriam, vincentibus aſsereret palmam. Videat ergo Moribundus, ut tanti myſterii excellentiam agnoſcat, ut illud in tempore, ut religioſè uſurpet. Quidni enim æſtimet beneficii magnitudinem, quandoquidem *iſtud ſacramentum eſt*, ut loquitur Concilium Tridentinum, ( *Seſſ. 14. c. 2. & alibi.*) *totius vitæ Chriſtianæ conſummativum, quo tanquam firmiſsimo præſidio munitus æger ſanctificantem gratiam peccatorum veniam, ſæpe etiam corporis ſalutem conſequitur, morbi incommoda & labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit.* Ferunt Achillem, etiam tum infantem Lethæo merſum flumine, nulli poſtea vulneri extitiſse obnoxium, niſi plantâ pedis, quâ illum mater, dum mergebat, tenuit: hac verò parte corporis ſagitta læſum ab Hectore, ex eo vulnere fuiſse coactum occumbere. Fabulæ! aſfaniæ! hoc verò longè certiſsimum, Avernalem Colubrum jam inde à malè guſtatis Paradiſi deliciis, nihil magis, quàm *hominis calcaneo*, id eſt, extremæ illius vitæ inſidiari, quo tempore inflictum vulnus novit eſse incurabile; verùm adverſùs illas inſidias præclarum amuletum eſt Extrema unctio, quæ cùm ipſos quoq; in pedes effunditur, reddit hominem à virulento morſu antiqui ſerpentis indemnem: ſi præſertim, prout præmonebam in tempore illa uſurpetur. Quod quia magis pendet à diligentia domeſticorum, quàm infirmi doloribus preſsi aptitudine, per ego vos, quidquid cariſsimum in vita habetis, rogo atq; obſecro,

Adſtites

Adstites ægrorum, ut, posthabitâ pro crastinatione iis de hoc tam salutari beatæ mortis præsidio providere curetis. Crudelis est, & à pectore Christiano ad Garamantas releganda ista cogitatio: *Contristabimus amicum, si extremæ unctionis commonuerimus.* Quin imò, si erroneo timore, perinde ac si cum sacro oleo mors in donum ferretur, æger ab eo abhorrere videbitur, tum enimverò expugnandus est animus tum eorum exemplis, qui hoc sacramentum maximi fecerunt, tum qui neglexerunt. Tum revocandus in mentem *S. Malachias*, qui, teste Bernardo, cum unctionem mulieris, à domesticis persvasus, longè illam abesse à periculo, distulisset, in posterum diem, illáq; paullò post obisset, incredibili dolore confectus, non priùs à lacrymis, singultibus, precibúsq; super mortua profusis destitit, quàm mulier spiritum, ac deinceps oleum sacrum antè petitum recepisset. Judicavit scilicet Vir sanctus, fatigandum esse cœlum vel usque ad miracula, ne tanti boni jacturam, se auctore, muliercula pateretur. Tum commemoranda Hedwigis sanctissima Silesiæ Dux, quæ morbi mortísque sibi imminentis cœlitus admonita, extremè ungi voluit. Mirando potiùs, quàm imitando exemplo; neutiquam tamen improbando: quia illam idem spiritus ad hoc faciendum impulit, qui de morte certiorem fecit. Tum obstinatis auribus inculcandus ille, apud Lorinum in c. 5. v. 14. Epistolæ S. Jacobi, sacræ unctionis neglector, qui illius mentionem ne in aures quidem admittere voluit, præterea dictitans: conclamatum esse de vita, cùm de sacro liquore clametur.

Dixit, & vixit. Cùm jam ex more mortuali linteo esset involvendus, & condendus tumulo, resumpto repentè spiritu, oculos aperuit, hœc verba locutus: *Quia extremæ unctionis salutare Sacramentum abhorrui, centum annis Purgatorii ignibus justo DEI judicio torquebor; si autem unctus fuißem; de hac ægritudine donvaluißem: sacra enim unctio on est mortis acceleratio.* Quo dicto se rursus ad mortem composuit. O formidabilem divinæ manûs potentiam, quæ quàm facilè nobis in præsenti remedia delictorum pœnas abolendi suggerit, tam acerbè neglectum remediis iisdem utendi, post hanc vitam castigat! Felicior isto, tametsi consilio errore timoris præoccupatus Rupertus Romanorum Rex, qui denique ad percipiendum sacrum ceroma inductus, cùm ea, quæ in administratione illius usurpat Christiana religio, audivisset, gratulans ipse sibi beneficii magnitudinem ità fatus est: *Revera si hoc Sacramentum scivißem tam efficax eße ad animæ corporisq; salutem, prout jam inaudio, dudum ipsum devotißimè postulaßem,* Audivit nimirum prudens Imperator ipso in aditu Basilicæ sacerdotem sacramenti Ministrum ità adprecantem: *Introëat Nomine JESU Christe domum hanc sub nostra humilitatis ingreßu, æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna;* & mirâ quædam hilaritate his sibi verbis animum erigi persensit. audivit: *effugiat ex hoc loco acceßus dæmonum, adsint Angeli pacis, domúmq; hanc deserat omnis maligna discordia; & beatorum spirituum luce, tenebras dæmonum dißipari*

*lætatus*

*lætatus est.* Audivit *per sanctam unctionem & piissimam Domini misericordiam sibi indulgeri, quidquid per omnes sensus uspiam deliquisset*, & perditam sensuum innocentiam redintegrari sibi gratulatus est. Audivit: *Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut famulum tuum ab ægrtudine liberatum, & sanitate donatum dexterâ tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis &c.* & sacrum illud ungventum, non mortis, antehac rebatur, prodromum, non vitæ naufragium, sed sanitatis rediturae votum, sed gratiæ divinæ venam, sed delictorum spongiam esse intellexit. Quæ emolumenta cùm non ignorarent Viri sapientes, prolusiones quasdam non minùs piè, quàm providè instituebant incolumes, quibus se ad recipiendum sacrum liquorem reipsâ, cùm obeundum esset, compararent. Duos tantùm nè diu faciam memorabo. Alter erit pietate dubites, an rerum præclarè gestarum illustrior Leopoldus Guilielmus Archidux Austriæ, cui solemne erat, quoties vesperi decumberet, piissimâ quâdam assimilatione adumbratam Extremam unctionem aspersione lustralis aquæ usurpare cum hac adprecatione: *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat mihi DEus, quidquid in anima per cordis affectum, & potentias internas commisi; & quidquid in corpore per sensus externos contra rationem & virtutem deliqui.* Alter verò erit P. Wolffgangus Gravenegg, præclarum in Societate actæ virtutis nomen. Qui quotidie, cubitum concessurus, vespertinâ totius

diei expiatione, veluti ſacro quondam extremæ Unctionis imitamento, uſus, in mortuali expirantium ſitu tantiſper, ſupinus, crucem fronti, oculis, auribus, aliisq; de more illius ſacramenti, ſenſibus impreſsit, additis accommodatis ad ſingulos ſenſus verbis. ( *Nadaſi Pret. Occup. c. 4. n. 3.* ) Verùm, ne tantùm externorum ſenſuum expiatione ſuam circumſcriberet pietatem, frontem cruce muniens internos ſenſus expiavit in hæc verba: *Per iſtam ſanctam Crucem, & ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat mihi Dominus, quidquid memoriâ, intellectu, voluntate, cogitatione deliqui.* Sic iſti, ſic complures alii æternitatis providi factitabant. quâ pietate illud conſecuti ſunt, ut morti propiores non modò non ad mentionem, vel illationem ſacri Olei pueriliter expaveſcerent, quod nunnulli faciunt, ſed illud ipſi & ultro expeterent, & religioſiſsimè acceptarent. Planè ad mentem Doctoris Angelici cenſentis: *hoc Sacramentum Actualem devotionem in ſuſcipiente requirere, & &, immediatè hominem ad gloriam diſponere.* ( *Supplement. p. 3. q. 32. a. 4. & q. 29. art, 1.* ) Cujus quidem devotionis partes, is, meâ ſententiâ, abunde expleverit, qui præmiſſo ungendi ſui ardenti deſiderio conſcientiam emaculare, pœnitentiæ amorisq; divini affectibus indulgere, ſpem ſalutis in ſe excitare, Cœlites eodem myſterio quondam ſanctè uſos invocare, pro accepto gratias, quantas par eſt, agere, denique divinæ ſe voluntati in omnem nutum conſignare ſtuduerit. Felix, cujus *in labiis* ( præter alia ſenſuum organa ) *diffuſa fuerit gratia* hujus Sacramenti: *propterea benedicet eum Deus in æternum.*

CAPUT

# Caput X.

## *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.* Luc. 22. v. 43.

PRoprium Angelorum eſt, cùm in vitæ totius curriculo, tum præſertim in meta ejusdem, ſeu in agonia conſtitutis Clientibus ſuis opportunè adeſse, ſolatia impertire, vires adverſùs dæmonem pugnaturis addere: animas verò corporibus egreſsas cœlo munus offerre, divinóque conſpectui præſentare. *In hora exitûs noſtri adſunt boni Angeli*, ait in Bibliotheca P P. Simeon ille admirandus, *& copiæ cœleſtis exercitûs; atq; omnes contrariæ poteſtates, Principes tenebrarum: utriq; ad ſuas ſibi ſedes animam conantes aßumere.* ( *Tom. 2. collat. 103.* ) & paullo inferiùs: *In gaudio*, inquit, *& exultatione cum Sanctis proficiſcitur anima, ei Angelis victoriæ hymnos concinentibus Deo, nec non eam Servatori Chriſto & gloriæ Dei offerentibus.* Magno Simeoni iisdem propè verbis adſtipulatur S. Anſelmus: *Cùm juſtus in extremis agit, Angelus Cuſtos cum multitudine Angelorum venit, & animam Sponſam Chriſti de carcere corporis tollit, & cum maximo dulcißimæ melodiæ cantu & immenſo lumine ac ſvavißimo odore ad cœleſte perducit palatium.* Cujus quidem extremi, ſed longè feliciſsimi Moribundis à beatis Spiritibus præſtiti obſequii innumera paſsim libri ſpecimina continent; meum hîc duntaxat

taxat consilium esto, ut in extrema valetudine sanctos Angelos, ac præcipuè vitæ nostræ Custodem, eorúmq; Antesignanum Michaëlem quàm creberrimè, quàm ardentissimè invocemus. Istud certè faciendum innuit ipsa Mater Ecclesia, quando animam Christianam *proficisci de hoc mundo* jubet in *nomine Angelorum & Archangelorum: in nomine Thronorum & Dominationum: in nomine Principatuum & Potestatum: in nomine Cherubim & Seraphim*, quando rursus Moribundum ità Deo commendat: *Suscipiat eum S. Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, & perducant eum in civitatem cœlestem Jerusalem.* quando deníque animam ergastulo corporis egressam his votis comitatur; *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: Suscipientes animam ejus; offerentes eam in conspectu Altissimi.* Porrò signiferum cœlestis hierarchiæ S. Michaëlem, quem nonnulli particularis judicii mox à morte subeundi censent fore Præsidem sic invocat eadem Ecclesia: *S. Michaël Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.* Quod est illud prælium? nisi, ut sæpe diximus, extremus ille agon, in quo vita cum morte, corpus cum doloribus, anima cum Dæmonibus acriter luctatur; cujus exitus si felix, coronam; si infelix fuerit, exitium homini creat sempiternum. Et verò nihil est usitatius Angelis, quàm pro Dei causa præliantibus auxiliares suppetias adferre. Unius potentiâ Angeli, Ezechias de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia stupuit interempta. Constantino ad opem feren-

dam venientes Angelos, ſic deſcribit Nazarius: Flagrabant neſcio qui umbone coruſci, & cœleſtium armorum lux terribilis ardebat, reſonantibus vocibus: *Conſtantino imus auxilio.* S. Wenceslaum in certamen cum Duce Kurimenſi deſcendentem cædi vetant Angeli, eâq; voce æmulum fulminant: *Ne feri.* Si pro terrenis regnis certantibus fortè nec invocati ultro ſuam elocant operam; quantò promptiores aderunt æternas bello coronas merentibus, dum ſummis precibus exorentur illi bellatores ſpiritus? *Quid ſub tantis Cuſtodibus timeamus? Fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt; quid*, Moribundi, *trepidamus?* (*S. Bern. in Pſ. Qui habit.*) Scio in morte eſse tribulationem magnam, tentationes graviſsimas, metus decumanos. Inter hæc, Moribunde quid ages? D. Bernardum audies, auditum ſequêris. Sic etenim ille: *Quoties ergo graviſsima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione: inclama eum, & dic: Domine, ſalva nos, perimus.* Salvabit. Rictus ſeu leonis, ſeu angvis Tartarei in tuam perniciem hiantes pertimeſcis? Clama, quod clamavit Tobias ad Angelum: *Domine, invadit me!* (*Tob. 6. 3.*) Invadentem fugabit. Geminata Angelorum ſigniferi S. Michaëlis invocatio geminum fulmen fuit, quod diabolum à moriente Religioſo fugavit; quid erit centies, quid millies, quid innumeris vicibus repetita? Res ita evenit. (*Recupitus tract. 3. induſt. p. 434.*) Averſabatur is toto vultûs abnutu porrectum ſibi ab adſtantibus Crucifixi ſignum, & pro ſacratiſsimis JESU MARIÆq;

nominibus Diabolum identidem nominavit. Cavete Mortales, qui rarò Angelos, rariùs JESUM vel MARIAM; sæpiſsimè Diabolum inter loqvendum appellatis, quibus in promptu ſunt illa: *dæmon hut iſtum tulit, Diabolum intelligis, me Diabolus rapiat;* Cavete, inquam, ne quorum vox Dæmon fuerat in vita, echo ſit in morte, néve tunc pro JESU & MARIA, utriusq; Hoſtem invocetis. quemadmodum flagitioſus ille Miles, qui tria verba, *Miſerere mei Deus*, ſatìs ſibi fore ad pœnitentiam in morte pollicitus, longè alia ſubſtituit, nempe, *Dæmon rapiat omnia.* Verùm non ea mens Religioſi fuit. compertum enim eſt Dæmone nominato ſignificare illum voluiſse, ſe à dæmone, quò minus JESUM invocaret, aut in crucefixum oſcularetur, fuiſse impeditum. Ergo quotquot aderant abjecti in genua (ô quantum intereſt inter preces aliorum mori!) ſummo cordis affectu: *S. Michaël ora pro eo! S. Michaël ora pro eo!* ingeminant; cúm fugato protinus dæmone, vultúq; ſerenato æger reſpirans, atque in dulci crucifixi amplexu, JESUM & MARIAM compellans, animam cœlo dedit. En, quàm ſit efficax Beatarum Mentium adverſus aëreas Poteſtates invocatio? Quare meritò monet Ambroſius: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt.* (*lib. de viduis.*) Aderunt illi, aderunt, & jam inde à mundi incunabulis, cœleſtiq; prælio cum Dracone inito vincere docti, dæmonem nobis ſub horam potiſsimùm obitûs inſidiantem rurſus in Tartara præcipitabunt, profligabunt.

Obierat Novellariæ *Antonius Fauſtinus* Societatis noſtræ

noſtræ Coadjutor. ( *Nadaſ. Pret. Occup. c. 31. n. 7.* ) Adfuerat ſepulturæ energumena, cujus ore nequam ſpiritus cum magno ſtridore exclamabat, indignatus homuncionem verrendis templis deſtinatum illuc perveniſse, unde ipſe in perpetuum fuiſset deturbatus. Furentem interrogavit nonnemo: Quiſnam præcipuè ex Beatorum choro aſtitiſset, opémq; tuliſset animam exhalaturo Fratri? Beatam Virginem, reſp[...]ndit, & Ignatium Societatis Authorem: Ang[...]m præterea Cuſtodem ità poſtremis illis temporib[...] adſtitiſse, ut non ſit paſsus eum ulla in re à quoquam ex tentatoribus ſpiritibus agitari. Simile profectò præſidii genus, Ægrote, & certiùs polliceri tibi, & audentiùs expectare poteris in vitæ confinibus, ſi quamdiu valebas, SS Angelos, ac præſertim cuſtodem peculiari cultu proſequi nitebâre. De quo cultu quia in *Norma vitæ* egi copioſiùs, hoc breviter repeto, duobus illum documentis in ſacra pagina poſitis univerſim contineri: *Obſerva eum, & audi vocem illius.* ( *Exodi 23.*) *Obſerva*: da quotidie obſervantiæ honoríq; illius aliquod pietatis obſequium, ſtatas ad illum preces, ut eſt Angelicum officiolum, quot diebus funde. *Obſerva*: reverere. *in quovis diverſorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. Túne audeas illo præſente, quod vidente me, non auderes?* ( *S. Bern. Qui habitat.*) *Obſerva*: attende, quibus virtutibus Angeli eniteant: quàm ſint humiles, ſine perſonarum, quibus miniſtrant, diſcrimine; quàm puri ſine ulla labe; quàm audientes dicto, ſine cunctatione; quàm Deo videndo intenti, ſine evagatione.

hæc obſerva, & pro virili imitare. *Et audi vocem ejus.* Angeli conſiliis acquieſce, inſtinctibus obſecunda; quod jubet, exequere; quod prohibet, cave; à vitio tibi familiari abſtine. Id verò eſt vocem Angeli audire. Audivit adoleſcens egregius Falco, & obedientiæ fructum tulit longè optatiſſimum. Legem ſibi adamante ſcripſerat, vel objecto mortis diſcrimine non mentiri. Commiſſo duello commilitonem ætate ſibi generéq; parem interimit; ſolâ tenuíq; admodum facti ſuſpicione ad judicium vocatus. Unâ negatione dilui crimen poterat, ſed voluit hâc ſe tueri Falco. Memor fidei, quam Angelo dederat, factum confitetur. Gladio addictus ictum carnificis expectabat, cùm adfuit Angelus, & ſtricto mucrone minax Carnificem exterret, & Falconem ſupplicio eripit. Hoc illi profuit Tutelarem Genium obſervâſſe. Si vel mala Mors, vel noſtræ Inimicus ſalutis feralem ictum intentaverit, prohibebit utrumq;, ne noceant, Angelus: ſi per Gladium ex utraq; parte acutum de ore ſupremi Judicis, damnationis ſententia in reprobos ferenda rectè intelligitur, hoc tu gladio, Moribunde, ne percutiâre, idem certè efficiet Angelus; modò tu illum obſerves audiáſq; in vita fideliter, in morte inclames conſtanter. Tum morti infelici ereptum, dæmoni ſubtractum, ſententiæ capitalis liberum idem ipſe Angelus *introducet in locum, quem* tibi Redemptor tuus ſuâ morte emit, ſuo in cœlum aſcenſu *paravit. Vado*, inquit, *parare vobis locum.* Introducet in locum de quo ſuprà laudatus Simeon Mandrita, *in locum quietis, in gaudium ineffabile,*

*in*

*in lumen perpetuum; ubi non est mœror, nec gemitus, neq; fletus, neq; anxietas; sed vita immortalis & perennis lætitia cum omnibus Sanctis acceptissimis Deo in regno cœlorum.* (*Tom. 2. Bibl. PP. coll. 103.*)

## CAPUT XI.

### *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Matth. 26. v. 56.

T*Unc fugerunt*, cum ad mortem Christus raptabatur, *tunc*, cùm adesse maximè debuissent, tunc fugerunt, cùm vinculatum enodare, accusatum defendere, damnatum comitari ad supplicium, vulnerato mederi, solari morientem oportuisset. *Fugerunt*; deseruerunt Parentem filii, milites Ducem, oves Pastorem, servi Dominum, discipuli Magistrum, subditi Regem, Apostoli Christum. Silent jam voces illæ: *Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* (*Joa. 11.*) *Fugerunt omnes*, etiam Thaboreæ gloriæ spectator Jacobus, etiam tam Zelosus Petrus, etiam tam dilectus Joannes discipulus. Fallor, nisi hîc quoq; locum habuerit illud pronunciatum: *Est amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* (*Eccl. 6.*) Et illud: *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* (*v. 8. & 10.*)

Habes, Moribunde, exemplum, quo tuam orbitatem solari possis, si quando te videris vel negligi à do-

à domesticis, vel ab amicis deseri, vel destitui ab obsequiis, vel ea negari, quæ tibi deberi jure arbitreris. Neque enim rarum aut insolens est, ut Æger aliquid interdum desideret, nec obtineat; cogatúrq; ingemiscere: *Hominem non habeo.* Non habeo hominem, qui solum tot horas decumbentem adeat, qui soletur mœstum, qui pusillanimem erigat Non est, qui in latus alterum snbmoveat, qui aridis faucibus frigidam porrigat, qui detectum contegat, qui lectulum sternat, qui ad ea quæ sunt naturæ, præstanda Vires accommodet; qui jacenti pium quid præoret aut legat. Non licet aurâ frui, non puriore cœlo, non hortorum gratiâ, non virore camporum. Lætantibus aliis ego hîc tabesco, vescentibus jejuno, sitio potantibus, dormientibus vigilo, exspatiantibus perputresco. intercidit memoria mei: curæ circa me postremæ: negligor, deserórque penitus! Ain' tu Infirme? quàm infirma est patientia tua, qui sic quiritaris. Christus, desertus à discipulis, neglectus à cunctis mortalibus siccine conqueritur? nihil audio. Poterat ille dicere: *Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsivi, & non fuit, qui adjuvaret.* (*Isai. 63. v. 5.*) nihil dixit. poterat queri: *Elongâsti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.* (*ps. 87. 19.*) tacuit. poterat ingemiscere: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni:* (*Psal. 68. 21.*) siluit, Prophetis hæc tantùm enuncianda reliquit, non impatientis animi indicio, sed extremæ desertionis, quà subiturus erat, vaticinio. Illum tu, ægrote, si imitatus fueris, si humanâ ope destitu-

deſtitutus, ad ſolam divinam refugeris, ſi querelas & indignantis animi motus compreſseris; multam profectò meritorum ſegetem in cœlo meſsueris. Neq; enim minoris in morbo virtutis eſt ea patienter perferre, quæ nos *negativè*, ut ſcholæ loqvuntur, quàm quæ *poſitivè* affligunt. Poſterioris generis ſunt omnia, quæ vel mœrorem animo, vel dolorem corpori incutiunt: ad primum genus referuntur, incuria quædam, ut putamus, circa nos Medicorum, infirmariorum, amicorum; vel cùm illa nobis denegantur, quorum nobis egere maximè videmur: vel cum nobis cibi ſunt minùs ad ſalivam; palati faſtidio potiùs, quàm vitio eſculentorum. Non raro certè negligentior infirmitatis curatio, ipsâ infirmitate moleſtior fuit. Exulceratur dolor defectu condolentiæ, & ubi non reperit opem, ad extremum mœrorem ægrotum præcipitat: Fregit nihilominus hunc doloris impetum in vitæ occaſu magnum illud Orientis lumen Franc. Xavexius. In Sanciano inſula primam quamq; occaſionem in Regnum Sinarum penetrandi opperientem febris intempeſtiva aggreditur & ſternit. Nullus ibi tum erat, qui vel ſacramentis, ſacrisq; officiis, vel medicinis, fomentisq; langventem relevaret. Inciditur periclitanti vena, ſed tam imperitâ & infelici manu, quæ mortem accerſeret, non arceret. Cubile jacentis de ramalibus, quod frigidis ventis undique pateret: lectulus terra modico ſtramine inveſtita. Hic præter æſtus febriles alius calor urebat Xaverium, ardor vehemens per exquiſita ſupplicia pro Chriſto moriendi; qui cùm ſibi ſperati martyrii palmam velut infringi in manibus cerneret, hoc

hoc habuit reliqvum, ut mactatæ voluntatis victimam DEO in holocaustum offerret. Interim magnis passibus ibatur ad mortem, quam nulla amicorum solatia, nulla obsequia famulantium, nulla comprecantium corona circumdaret. Ille in paternam Numinis providentiam summâ mentis totius tranquillitate projectus, modò illud sibi familiare ingeminat: *O sanctissima Trinitas!* modò Crucifixum lacrymis aspergens: *JESU Fili David, miserere mei!* modò ad DEIparam: *Mater DEI, memento mei.* Moriens denique, & Christum cruci affixum oculis osculisq; prosequens: *JESU*, inquit, *DEUS cordis mei!* mox JESUM & MARIAM primùm integris, ac postea intermortuis vocibus compellans mense septimo post expletum Indicis laboribus ærumnisque decennium, feriâ 6. alterâ post meridiem horâ, magnam animam à corpore multa gloriosè perpesso cœlo coronandam transmisit. Et erit tamen aliquis, qui murmuret aut queruletur, se ab omnibus neglectum hinc excedere, quando sic morientem in Insula sterili, in lacero mapali, absque omni hominum obsequio videt Franciscum Xaverium? Moriamur sanè, quocunque nos modo mori vult bonus DEus, dum ut emoriamur in vitam. Desertos ab hominibus, DEus non deseret. Tunc verò erit opus, ut, exemplo Xaverii, ad DEum corde purissimo per doloris, amoris, pietatis, desideriorum pro DEO moriendi ejúsque voluntati obediendi actus, per Virginis Matris preces, perque oscula & obtutus Crucifixi flagranter aspiremus; aspiciamúsque ac imitemur exemplum, quod nobis Christus

à disci-

à discipulis, amicis, patronis desertus, & Christi imitator Xaverius moriens, ab omni humanâ ope destitutus reliquit.

# CAPUT XII.

## *Christus flagellatur, spinis coronatur, cruci affigitur. Joan. 19. v. 1. 2. Luc. 23. v. 33.*

MAgna Patientiæ exempla fuêre Tobias, Job, Lidvina, Clemens Ancyranus, aliiq; sancti, Martyres præsertim, sed maximum in sua Passione Christus. Ipse tolerantiæ Magister, illi discipuli: sol ille, hi solares radii: illi guttam, ipse dolorum calicem potavit. Acerrimè flagris cædebatur: & tamen, authore Laurentio Justiniano, *Tanquam Gigas imperterritus stetit.* Spinæ usque ad cerebrum capitis pertingebant; inauditum tormenti genus tam fortiter tulit, ut dicat Tertullianus: *Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* (*Tertull. l. de pat. c. 3.*) manus & pedes clavis trajiciebantur, *non murmur resonat, non querimonia: sed corde impavido mens bene conscia conservat patientiam.* Quid hîc alaparum grandinem, quid crinium & barbæ vulsiones, quid impactiones pugnorum, quid violentas ad terram afflictiones; quid sarcasmos, scommata, illusiones commemorem? Arundine percutiebatur ut canis, humi conterebatur ut vermis, conspuebatur ut terra

tetra mephitis; quid ille ad omnia? *JESUS autem tacebat.* (*Matth. 26. 63.*) *Veni*, inquit, *in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* (*Ps. 68. v. 3.*) Non hoc erat pelago dolorum hauriri: secundùm animam mœrore, tædiis, metu, tristitiâ, angoribus confici; corpore autem toto, & singulis membris cruciari? *O vos omnes*, inquit, *qui per viam* mortis omnibus communem de hoc mundo *transitis, attendite, & videte, si est dolor vester, sicut dolor meus.* (*Thren. 1. 12.*) Vide, quisquis etiam ad mortem decumbis, vide hunc Virum dolorum, & siquid sustines, quod ille prior pro te non patiatur, tum strenuè licet, querulare. Quid enim? Capitis dolores te cruciant? Christo caput ad cerebri perfosßionem compungitur. Laboras ex dolore dentium? Christus in domo Caiphæ ferratâ nebulonis manu percutitur; aliàs non unâ alapâ verberatur. Te febris exagitat? flagella Christum. Siti exæstuas? majore Christus. Sudore enervaris? Sed non, uti Christus, sanguineo. Vexat manus & pedes arthritis? Manus & pedes Christi clavis perforantur. Puncturæ latera fodicant? Latus Christi lanceâ transfoditur. vulnus quidem mortuo inflictum, sed à vivente prævisum. Herniâ torqueris? Christo nervi in cruce contrahuntur. Lectus premit? Crux Christum; quid horum mollius? Sed medicamenta dißipiunt? quomodo non fel & acetum Christo? Molesti sunt clamores invisentium? molestiores blasphemiæ Christo obtrectantium. Somnus te deserit? qualis, putas, fuit nox suprema Christo? Dolent membra omnia? *à planta pedis usq; ad verticem*

*ticem capitis non erat in Christo sanitas.* (*Isai. 1. v.6.*) Morbi deniq; Medicis ipsis non satis cogniti excruciant? Plura Christus pertulit, quàm vel sciamus nos, vel scripserint Evangelistæ, quàm Prophetæ prædixerint. Fecerunt in eo carnifices, milites, lictores, quæcunq; voluerunt. Ignorantur etiamnum ista, & in futurum revelanda servantur. Quod tu, ægrote, pateris gutta est ad Oceanum, atomus ad universum. Tu tamen hæc meritò pateris: quia peccâsti in Deum tuum: *ille autem nihil mali gessit.* Quòd si nihilominus dolorum tuorum lenimen desideras, en certissimum omnium Patientiam. Medicamentorum omnium primum & saluberrimum, Patientia. Huc in morbo recurrendum primò, huc ultimò. *Patientia vobis*, inquit Apostolus, *necessaria est.* (*Hebr. 10.36.*) *Nobis*, qui tot malorum fluctibus jactamur, qui tot doloribus obnoxii vivimus; *nobis* omnibus mortalibus, sed maximè ægris atque moribundis. *Necessaria est*, & quidem omni loco, omni tempore: sed sub mortem præcipuè, quando mala non sensim adrepunt, sed irruunt simul universa. Et tunc quidem utilis est oratio, pretiosa humilitas, excelsa conformitas cum voluntate DEI, laudabilis obedientia, ceteræ virtutes omnes pulchræ sunt; sed Patientia tam nobis necessaria, quàm aqua piscibus, aër volucribus, cibus & potio animalibus. Velis, nolis, mi æger, patieris. Si libenter Christo; si secùs, malo Latroni similis: si libenter, pœnas minuis; si invitus, auges. Ergò potiùs sustine cum Christo, & pro Christo, ut regnes cum Christo. Tu es Patientia

mea, Domine, dicebat Psaltes Regius: dic tu quoque idem ad Crucifixum conversus. Inde pati disces, si nescis; *ubi lignum illud, in quo fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis.* (*Aug. tr. 119. in Jo.*) Apud hunc Patientiæ tuæ thesaurum depone: potens est servare depositum tuum. nullibi securiora sunt, quàm apud Patientem Dominum Patientiæ cimelia. *Satis idoneus Patientiæ Sequester Deus*, ait Tertullianus: *Si injuriam deposueris penes eum, ultor est: Si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. quantum Patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem!* Sic ille. (*Lib. 1. de pat. c. 15.*) Jam verò est operæ pretium tam caræ Deo virtutis genuinos characteres novisse. Patientia siquidem *taciturna* est: soli Medico, quia debet, suas calamitates aperit: à murmure, & querelis abstemia, nemini dolorum acerbitatem exaggerat. Meminit videlicet illius aphorismi, quem Vincentius Carafa & servabat ipse, & aliis scribebat: *Quemadmodum*, ajens, *qui divitem auri venam, aut magnam copiam aureorum dupliorum Hispanicorum humo infoßam deprehendit, rem alios omnino celat, ut solus iis potiatur: ita qui insveto Christi favore atq; indicio thesaurum invenit sanctæ istius crucis ac dolorum, occultare illum reliquis debet, ne, si quispiam inventum resciat, bona illius pars poßeßori adimatur sive remediorum ac lenimentorum aggestu, sive plenâ charitatis commiseratione.* (*Vitæ l. 2. c. 1. pag. 241.*) Patientia *humilis* & modesta est: à pretiosis medicamentis abhorrens; vilissi-

vilissima appetit, vitæque magnanima contemptrix, etiam in rerum penuria nimis agi secum indulgenter credit. Patientia *obediens* est: à legibus Medici ne transversum quidem ungvem recedit; quàm vertumnus ad auram, tam ad nutus superiorum volubilis, eique quam aliquando S. P. Noster exercuit, simillima. Langventem Medicus neq; ætate, neq; arte multum spectabilis cùm adisset, caloris egere ratus, obturari fenestras, excludi aërem, vestes ægro centonésq; injici jubet. Ex augmento langvoris animadvertit facilè errorem Ignatius: silet tamen, vehementiâ caloris tantùm non suffocatus. Extremum vitæ discrimen observantes domestici Machaonem alium accersunt, qui ut vidit ægrum ab æstu fatiscere, citò, citò aperiri fenestras, recentiorem auram introduci, disjici tegumenta omnia, frigidam ardenti porrigi imperat, itáq; fugientem penè animam reducit. *Generosæ indolis* Patientia est: dolores absentes desiderat, venientes ultrò consalutat, majorúmque avida pro accumulatis Benefico Numini gratias agit. Solemne est ipsi illud Andreæ Apostoli lætum apophthegma: *Salve, ô bona crux, diu desiderata, solicitè amata, sinè intermissione quæsita, & tandem cupienti animo præparata.* Nihil magis in ore & corde habet, quàm illud S. Francisci Xaverii: *Amplius! amplius!* & illud S. Teresiæ: *aut pati, aut mori!* & illud S. Martyris Bonifacii inter atrocissima tormenta hoc solùm exclamantis: *Gratias tibi ago, Domine JESU Christe, Fili Dei!* (*14. Maji.*) Atque has omnes genuinæ Patientiæ notas in Christo Patiente

 perfe-

perfectissime impressas observari licet. Nam & *injuriis* & doloribus *lacessitus*, *silentium*, ut ait Ambrosius, (*Serm. 17. in Ps. 118*) *detulit triumphale*: & exinaniens semetipsum, factus est obediens usque ad mortem crucis: & cùm ingenti desiderio desiderâsset praeviam Passioni degustare coenam, mediis deinde cruciatibus mersus plures ac plures sitire sese palàm de cruce est professus. Ad hujus Patientiae ectypon, Moribunde, quò propiùs imitatione accesseris, hoc tua Patientia spectabilior, fructus ipsius amplior, merces & corona in coelis erit copiosior. Etenim, quod observavit S. Joan. Chrysostomus: *Cùm tantam poenam lues, magnam hinc mercedem, multa praemia, remunerationes, quas nemo verbis ullis consequi possit, splendidas, ac valdè florentes hujusmodi certaminum coronas expecta. Non enim duntaxat aliquid boni efficere, sed etiam aliquid mali perpeti, magnam mercedem, atq; ampla praemia obtinet.* Ita Os verè aureum. (*epist. 3. ad Olymp.*)

## Caput XIII.

### *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* *Luc. 23. v. 34.*

JESUS Christus, Rex & Magister noster, quot pendens de cruce protulit eloquia, totidem edidit, quibus ad felicem mortem institueremur, documenta. Quorum primo nos admonet, ut siqua adversùs proximos

ximos offensio facta est animi nostri, eam omnino ponere, & cum Inimicis in gratiam redire ante obitum studeamus. Quod quidem non modò ad ritè percipienda suprema morientium sacramenta, sed etiam pandendum vitæ beatioris aditum est pernecessarium. Cœlum sibi claudit, quisquis ad hostile virus ejiciendum pectus non aperit. Ita sensit D. Augustinus inquiens: *Dum nos invicem odio habemus, ita muros civitatis Jerusalem contra nos claudimus, ut nullus nobis aditus remaneat, per quem intrare possimus.* (*Serm. 168. de temp.*) Proto-Martyr Stephanus animam cœlo brevì illaturus: *Ecce*, inquiebat, *cœlos apertos, & JESUM stantem à dextris virtutis DEI* (*Act. 7. 55.*) Rogo, quid illi tam facilè pervios cœlos fecit? Charitas in malevolos. de qua ita Fulgentius: *Per charitatem Dei sævientibus Judæis non cessit: per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur.* (*Serm. 2. de S. Stephan.*) At enim quos sibi cœli aditus amore inimicorum Stephanus aperuit, hos suæ saluti propè apertos odio hostili Sapritius clausit. Infelix Sapritius! Jam gladio cervices objecerat, jam pro Christo daturus erat sangvinem, recepturus palmam: Sed quia contubernali offensam deprecanti noluit ignoscere; fit repentè pro Martyre Apostata; fidem negat, qui negavit veniam; discedit à Christo, qui à Christiano dissensit; & lauream martyrij in Nicephorum, cui veniam denegârat, transtulit. (*Ribad. Flor. Sanct. 9. Feb.*)

Quare avertat DEus, ut in Morituri corde vestigium aliquod erga proximum rancoris resideat; frustra siquidem cum Simeone in pace hinc dimitti cuperet, qui non cum Christo injurias sibi illatas dimitteret: neque divini vultûs aspectum à morte ille sibi auderet promittere, qui oculo charitatis careret; de quo S. Bernardus: *Charitas est Oculus, quo videtur DEUS.* (*de div. am. c. 6.*) Equidem, ut arbitror, cujusvis Moribundi ad cœlestem patriam adspirantis est illud desiderium: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* (*Ps. 54. v. 7.*) Quæ verò illæ pennæ, quibus hinc ad beatam requiem avolamus? Respondet S. Bruno Astensis: *Si habes charitatem in Deum, & proximum diligas, duas alas habes, quæ tibi ad volandum sufficere poßunt.* (*Sent. l. 3. c. 9.*) Sed enim salutis nostræ hostis Alastor Tartareus, *cui*, ut ait Bernardus, *nihil desiderabilius, quàm extinctio charitatis*, in eam perniciem omni curâ incumbit, ut Moribundorum præcipuè illas charitatis pennas vel odio quopiam inimicorum infringat, vel visco dissensionis inficiat, nè se hinc anima ad supernas regiones liberè attollat. Id quod illi egregiè ad votum cessit in duobus quibusdam, parum hac appellatione dignis Religiosis, qui alas charitatis integras illæsásq; servâssent, næ illi pro Tartaro cœlum petiissent. Tragicum eventum hunc in modum denarrat P. Joannes Nadasi in Vita & Moribus Prædestinatorum. (*Signo 6. c. 5. n. 23. pag. 237.*) In Cœnobio quodam Italiæ duo Religiosi Deo serviebant, quos inter aliqua dissensionis scintilla coorta est usque ad

verba

verba injuriosa. Increvit illa usque ad triste, sed clandestinum, incendium, adeò ut jam nec alter alteri loqueretur, aut salutaret. Post duos menses, eorum alter morbo ad extrema deductus, & sacramentis iter ad æternitatem adornantium instructus, accito altero, non sine magnis redintegratæ charitatis significationibus, cum eo in gratiam & amplexum rediit. At sanus ille ingenio durior, dum rediret, amaro sarcasmo ad socios dixit: *Timebat sibi scilicet bonus iste; & idcirco à me veniam postulavit.* Scintillam in pyrium pulverem illapsam esse crederes. Nam auditâ illâ voce æger, adeò rursum exarsit, ut diceret: *Ain' tu, quòd ex metu veniam à te petierim? & dederim? Jam dico tibi: quòd nec ignoscam tibi nec petam à te ignosci mihi.* Dixit, & facultate loquendi amissâ, agonem ingressus, quidquid alii, ut doleret, ut ignosceret, suggererent, nihil fecit; & ita expiravit infelix. Jam sepultus erat, cùm ecce triclinium, ubi omnes vescebantur, ingressus est, capillo surrecto, accensis oculis. Tum universis spectantibus, tartareâ voce dixit: Propter pertinacem iram, à qua non resipui etiam monitus, ardeo in inferno, sempérq; ardebo. Verùm qui fuit socius iræ, non erit à pœna immunis. Et eum, quo cum simultates habebat aggressus; *Surge*, inquit, *à mensa hac Maligne! causa malorum tantorum. Stat enim sententia Filii DEI, qui in suis sententiis errare non potest; & decrevit, ut, quia non voluimus pacem in terra, simus in dissensione perpetua in inferno.* eúmq; arripuit, & vi è mensa extractum ita est amplexus, ut

duo hi, vivus & mortuus, in amplexu mutuo, instar rabidorum canum, alter alterum momorderit. Demum in omnium conspectu terra tremendo hiatu dehiscens se aperuit, & utrumq; glutivit, intolerabili fœtore relicto per totum triclinium. Tunc interemptus sepulchro jam non egebat: alterius ante hunc mortui cadaver quæsitum in sepulchro est, sed repertum non est. Fatalem Dathanis atq; Abironis catastrophen in scena denuo productam vidisses. Nimirum, ut, ex mente veterum Anachoretarum; *Porta cœli est injuriarum perpessio*, sic animorum dissensio Porta est inferorum, quam miseri isti suis sibi simultatibus reserârunt, æternùm obserandam. Repeto, quod prædixi: *Claudit Patris indulgentiam, qui fratri negat veniam*; (*Aug. Enchir. c,74.*) quantâq; possum vocis contentione in aures Moribundorum inclamo: *Dimittite, & dimittemini!* atque ita equidem dimittite, ut non tantùm ad oculum & simulatè dimisisse odium videamini, sed, quod Christus monet, *de cordibus vestris* dimisisse ab eo agnoscamini, qui scrutatur renes & corda. A quo Christi monito, quia descivit Civis ille Cordubensis, æternùm interiit. Cordubæ in Hispania graves inimicitiæ inter duos præcipuæ nobilitatis viros non exiguâ urbis offensione intercedebant, cùm illorum alter in morbum lapsus Sacerdotem è Societate JESU evocat peccata confessurus. Sacerdos publicæ memor offensionis, negat posse se, nisi palàm adversario conciliietur, pœnitentiæ Sacramentum impartiri. æger paratum se ait ad omnia. Convenitur adversarius, qui

&

& ipse se ad ponendas inimicitias promptum exhibet. Ergo convocatis testibus odia ponuntur, amicitia utrinq; firmatur, æger absolvitur, SS. Christi corpus recipit, & paulò post vivere desinit. Quis hîc non credidisset, virum felici vitam fine clausisse, & inter Beatos assumptum esse? Verùm eheu! alia sunt judicia DEI: alia hominum. Nocte, quæ proxima fuit ab elato funere, adsunt sub noctis ipsius medium cum facibus adolescentes duo, Collegii fores pulsant, Patrem qui defuncto fuisset à confessionibus evocant, rem esse magni momenti, quam ipsi communicatam velint. Sine mora præstò fuit Pater, & à duobus illis rectâ ad templum, ubi viri corpus conditum erat, ducitur, datísq; ab altero templi clavibus, bono animo esse jubetur, aperire ostium, ad aram principem accedere, & ex tabernaculo pyxidem, in qua SS. Corpus asservabatur, educere, & cum pyxide sequi. Fecit ut jubebatur, pendens animi, quem tandem esset res finem habitura. Illi igitur per omnia facem prælucentes, Patrem ad defuncti Nobilis sepulchrum deducunt, itáq; tandem affantur: Est hîc mi Pater Nobilis istius sepulchrum, qui dudum visus est cum adversario, positis inimicitiis, in gratiam redire, sed fecit ille fictè omnia, mortale intus odium fovens: hoc statu infelicem animam ex mortali vita, ad æterna supplicia immortalem transmisit: sacra hostia nihil dum læsa, hæret in cadaveris faucibus; eam inde ablatam in theca repones, & altari restitues. Ita fati sepulchrum pede pulsatum momento aperiunt, erecto cadaveri os diducunt, Sacerdos inde Hostiam sacram,

ut jussus erat, integram educit, & thecæ imponit. Sub hæc deturbatum magnâ vi in fossam cadaver videri desiit, eò abreptum, ut est credibile, à dæmonibus, ubi jam anima torquebatur, quò antè SS. Corporis Christi præsentia auferri prohibuerat. Igitur composito iterum sepulchro, cùm Pater recondidisset sacram pyxidem, ad Collegium reducitur, iisdem continuò præeuntibus ad Collegii usque fores, quæ apertæ ut primùm Patrem receperant, duo illi Faciferi ex oculis Patris curiosè quà redirent observantis subitò evanuerunt. Angelos fuisse est verosimile, qui ex sacrilegis hominis faucibus SS. Hostiam educi jusserunt, ut palàm esset omnibus, qui proximo injurias de corde non remittant, indignos esse Epulo Eucharistico, ne dicam *æternâ divinitatis fruitione repleri, quam pretiosi Corporis & Sanguinis Christi temporalis perceptio præfigurat.*

## Caput XIV.

### *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. v. 44.

QUi semper fuerat in vìta, neq; in morte liberalis esse destitit D. N. JESUS Christus. *se Nascens dedit socium, Convescens in edulium, se Moriens in pretium, se Regnans dat in præmium.* In cruce verò jamjam emoriturus dat Patri spiritum, nobis sanguinem, Joanni Matrem, militibus vestes, Longino fidem,

fidem, Centurioni pœnitentiæ gratiam, latroni Paradisum. nec differt: hodie, inquit, habebis quod spondeo, *hodie mecum eris in Paradiso*. Pulcherrimo sanè Moribundis omnibus, qui bonis fortunæ affluunt, exemplo, ut, cùm testamenta condunt in egenos, in animæ suæ posthuma præsidia, *in pias causas*, ut dicimus, & opera gloriam Dei magnificè promotura profusi sint atq; liberales. Hoc nimirum est divitias secum aliò etiam à morte asportare: hoc facere de mammona amicos, qui te, cùm defeceris, recipiant in æterna tabernacula. Sed de instituendis testamentis, etiam illorum, qui se DEI amore depauperavêre, alius erit commodior agendi locus; nunc de Spe & Fiducia in DEO collocanda, cùm moriendum erit, ex occasione recepti tam facilè in gratiam à Christo latronis, breviter agamus. Duo sunt præcipui scopuli, ad quos Moribundi cymbulam allidere nititur Diabolus: Præsumptio & Pusillanimitas. Ad illam ipse, ut est callidus cujusvis conditionis observator, inducere tentat eos, qui excelluêre virtute; ad hanc, qui improbitate: istis exaggerat scelera, ut in desperationem; illis merita, ut in superbiam præcipitet. ad evitandum ergo præsumptionis scopulum accersenda humilitas, ad Pusillanimitatis, Fiducia. ità *medio tutissimi ibimus*; juxta illud Psalmographi: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* (*Psal. 100.*) Istud, ne præsumam; illam, ne desperem. Et profectò poterisne de salute dubitare, ne desperare dicam, ô Moribunde, si Christi Crucifixi misericordiam in Latronem recogites? Si vitam latrociniis in-

famem

famem egisses, si cædibus & rapinis manus, si lingvam blasphemiis & maledictis, si corpus libidine & impudicitiis, si animum totum inauditis criminibus contaminavisses; modò vitam sceleratam increpes ac rescindas, modó te nocentem, Christum innocentem fateâre, modò illum Regem, te subditum, illum Dominum, te mancipium verè recognoscas, modò tui oblitus totum te in amorem illius transferas; non est cur etiam *hodie* Paradisum desperes. *Non impeditur temporis angustiâ DEI misericordia.* Coæquatur omnipotentiæ DEI Clementia. quàm pronum est illi muscam & elephantum creare, tam integrum huic, unum atq; infinita peccata ignoscere. Sera est, inquis, pœnitentia mea. Audi Hieronymum: *Nunquam sera est conversio. Latro de cruce transit ad paradisum.* (*ep. 7. ad Læt.*) Multiplicatæ sunt super capillos capitis iniquitates meæ. Basilio crede; *Peccata & magnitudine & numero possunt definiri; miserationes autem Dei neq; magnitudine, neq; numero possunt circumscribi.* Gravitate scelerum fatiscit conscientia, Sublevet illam S. Leo Papa inquiens; (*ep. 19.*) *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris. & iterum: Quia apud Deum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* At severus est, qui me paullò pòst judicaturus est. Verùm qui postea Judicem aget, modò patrem refert. quid hæres? qui te ad se per mortem vocat, Pater est, tui semper

amantis

amantissimus. An putas ab hoc Patre tunc te desertum iri, cùm illius maximè auxilio indigebis? an, cujus paternam pietatem luculentè expertus es in vita, eâdem destituêre in morte? Amabat te peccantem, non amabit resipiscentem? Certè non ita sensit M. Joannes Avila, cùm scripsit: (*ep. 11.*) *JESUS meus me prius dilexit, quàm ego eum diligerem. Jam igitur cùm eum diligam, is me non deseret, non deseret.* Pater ergo, Moribunde, Pater tuus est, JESUS. nil dubita. Etsi tu amiseris quod erat filii, ille quod Patris est non amisit. Quid trepidas? quin potiùs surgis Spei ope erectus, & citatis amoris affectibus vadis ad Patrem tuum? En in cruce brachia expandit, ut venientem ultro amplectatur; caput inclinat, ut te osculetur. Jam expedit stolam gloriæ, parat annulum æternitatis beatæ, instruit epulum voluptatis divinæ. Eò cùm veneris, Beatos omnes ad gratulandum invitabit, dicétq; Epulemur & exultemus, quia filius hic meus mortuus erat mundo, & revixit cœlo. Et titubas adhuc? Unicus certè JESU Crucifixi aspectus, cujus cor ad fiduciam non erigat, is quidem mihi excors esse videtur. Cui enim ille tam uber sanguis omnibus è venis ebullit? cui tenduntur nervi? cui lanceâ pectus aperitur, cui pedes perforantur & manus? cui Christus moritur, nisi tibi, Peccator, ut convertaris & vivas? Vide, quàm copiosa sit apud Dominum tua redemptio, & nihil ambige, daturum tibi cœlum, qui dedit seipsum. Vadem tibi hujusce fidei statuo Joannem Avilam, magnum Hispaniæ Lumen, ita decernentem; (*ep. 3.*)

*Cùm sit res longè magis stupenda videre Deum in cruce, quàm te in cœlo: Spera in ejus bonitate. qui jam fecit, quod plus est, faciet etiam quod minus est.* Consignet hæc omnia plenum spei optimæ melliflui Doctoris effatum, quod cuperem Moribundis omnibus esse usitatum: (*Serm. 61. in Cant.*) *Peccavi peccatum grande: turbatur conscientia: sed non perturbabitur, quoniam Vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? si ergo in mentem venerit tam potens, támq; efficax medicamentum, nullâ jam possum morbi malignitate terreri. Et ideò liquet erráße illum, qui ait: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Deniq; *Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus: mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* (*Serm. 9. in Ps. Qui habitat.*)

## CAPUT XV.

### *Cùm vidißet JESUS Matrem, & Discipulum stantem, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua.*

*Joan. 19. 26.*

DUm pretiosissimum, quod habebat, monile, carissimam Matrem Christus discipulorum suorum dilectis-

dilectiſsimo Joanni ultimâ voluntate relinquit, luculentè Moribundos inſtruit, quàm ritè teſtamenta condere, quàm piè colere SS. Virginem, quàm religioſè ſanctos Cœlites extremo morbo invocare debeant, quæ tria hujus Capitis argumenta erunt.

*Teſtamenti inſtitutio* rectè ſe habebit, 1. Si fiat ſenſibus integris & vigente judicio, nec ad vitæ limites differatur. Ariſtoteles apud S. Maximum ita cenſet: (*Ser. 6.*) *Si quis in morbo teſtamentum ſcribat, ſimiliter facit, ut qui in tempeſtate maris inſtrumenta navis incipiunt præparare.* 2. Diſsolvendum ante omnia, ſi quod eſt æs alienum, expungenda debita, depoſita reſtituenda, cautiones repetendæ: ne querelis aut conviciis ſuperſtitum, à morte ſubjaceas. 3. Teſtamentum non priùs, quàm peccata confeſsus conſcribe: vel certè conſcriptum, compoſitis cum Deo rationibus, denuò ratum habe; memor, in nocte peccati neminem operari poſse ad valorem meriti æterni. *Si non places, non placas*, ait S Bernardus: nec placere Deo tuæ eleemoſynæ poſsunt, niſi pœnitentiâ priùs eundem placaveris. 4. Executionem teſtamenti piis & notæ probitatis hominibus committes. Hoc rurſus monet Bernardus: *ſi ſapis, tuam committes animam diligentibus animam ſuam.* Lentos executores deligere, eſt ſibi purgatorias pœnas protelare. 5. Habitâ liberorum, amicorúmque convenienti ratione, tuæ inprimis animæ, atque accelerandæ per eleemoſynas pauperum, Miſsarúmq; ſuffragia ſalutis ſatage, quò verè cum S. Laurentio dicas: *Facultates meas in cœlum manus pauperum deportaverunt.* Si uſquam,

in hoc maximè negotio uſurpandum memoriâ illud: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* (*Eccli. 30. 24.*) & illud: (*Matth. 16, 26.*) *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Nulla major Stultitia, quàm ſe neglecto, aliis cupere prodeſse. 6. Immenſùm intereſt, Opulentorum præſertim, ſuas facultates, dum ſani ſunt, in egenos partiri, vel aliis piis cauſis applicare potiùs, quàm ſuis eas teſtamento legare poſt mortem diſtribuendas. Nam eleemoſynæ, quæ à vivis erogantur, majoris meriti ſunt, quàm ſi ad mortem differantur, quando quis nempe dat, quia diutiùs retinere non poteſt. Sic S. Lucia Eutychiæ matri dixit: *Non ſatis Deo charus eſt, qui illi hoc dat, quod ſecum deferre non poteſt.* (*Sur, 13. Dec.*) Vis Deo gratus eſse? hoc ei da, quo adhuc frui potes. Deinde hæredes, & teſtamentarii ſæpe infideliter aut ſerò nimium pia legata exeqvuntur. denique per obſcuram noctem gradienti plus confert vel una fax, quæ præfertur, quàm quatuor, quæ ſeqvuntur, ac, ſi Senecæ fides: (*de benef, l. 1. c. 5.*) *Tardè velle nolentis eſt.*

Quod pertinet ad implorandum ſub mortem SS. Virginis Matris Patrocinium, hoc idem ſibi Moribundus quisq; dictum exiſtimet, quod Joannes ad crucem ſtans à Chriſto audivit: *Ecce Mater tua.* Quâ voce, quid, oro, dulcius, quid Morienti ad ſolatium accommodatius eſse poteſt? Felix, qui MARIAM in morte Matrem habet: *in cujus manu,* ut S. Bonaventura canit, (*Pſ. 71.*) *ſalus & vita conſiſtunt; lætitia perpetua, & æternitas glorioſa.* Hâc duce, nullus iter

æterni-

æternitatis malè iniit, hac protectrice nullus tentationibus Diaboli ſuccubuit, hâc patrocinante nullus in Judicio Divino condemnatus periit. *Filioli*, dulciter Bernardus, *hæc peccatorum ſcala, hæc maxima mea poſt Deum fiducia.* Horrida mors eſt, nihil dubito, ſed præſente MARIA dulcis & optabilis. *Glorioſum & admirabile eſt Nomen tuum*, canit rurſus Bonaventura, (*Pſ. 110.*) *qui illud retinent, non expaveſcent in puncto mortis.* Ipſa ſuæ bonitatis teſtis eſt, Virgo Clementiſsima, dum S. Birgittæ ſe ità revelat: (*Revel. l. 1. c. 29.*) *Quamvis ſic ſublimiter ſedeo, tamen audio amicos meos in terra exiſtentes, mihi quotidie gemitus fundentes & lacrymas. Ego chariſsima Domina eorum & Mater, obviabo eis, & occurram eis in morte, ut etiam in ipſa morte conſolationem & refrigerium habeant, & collocabo eos mecum in ſede cœleſtis gaudii, ut in brachio dilectionis perpetuæ, & æternæ gloriæ cum exultatione immenſa æternaliter requieſcant.* Pleni ſunt libri, plena exemplorum non modò vetuſtas, ſed & hodierna ætas, quæ MARIAM clamant non opitulatricem ſolùm agonizantium, ſed Matrem. Quem, quæſo, hæc Domina in ultimo certamine invocata deſeruit? cui opem non tulit, cujus ærumnas ſolatii aſpergine non recreavit? *O ſi nôſſes* (ajebat ad aſtantem Amicum P. Joannes à Campis S. J.) *ſi nôſſes, mi Pater, quantum in morte afferat animo ſolatium, DEI Iparam ſingulari ſtudio coluiſſe!* (*Nadaſ. Pret. occup. c. 10. n. 24.*) Similis huic vox erat P. Franciſci de la Hamaide Dio-

nanti morientis: *Incredibile est, quomodo ista Misericordiæ Mater suos clientulos juvet in isto transitu. Ego certè sic ab illa me animatum sentio, ut licet corpore deficiam, animo tamen potentior fiam.* (*ibid.*) Maria nimirum sic Morientes adjuvat, ut opem, quam suis præstat in vita, patiatur ceteris quoque Sanctis esse commúnem, quæ autem in morte iis auxilia exhibet, sibi soli quodammodo ut propria vendicet. Aliàs succurrere, se dignum putat; hîc judicat, debere. Idcirco siquidem illa Filio morienti usque ad extremum interfuit, uti certè sciremus, ad illam propriè pertinere, adesse morientibus. Quod clarè perspexerat Alphonsus Salmeron, dum tom. 3. tract. 5. sic asseveravit: *Ob id, quod nascenti & morienti Christo MARIA adstitit, est digna facta, quæ filiorum Dei generationem, ut Mater pientissima, foveat, atq; morti nostræ in qua DEO per gloriam nascimur, singulariter succurrat.*

Ergo, Moribunde quæ esse toto vitæ tempore studiosè debuerat, extremo vel maximè, tibi cordi sit MARIA. Hæc tibi sit ad cœlum scala, hæc maxima post Deum fiducia. Ignatius Azebedius S. J. ab hæreticis odio fidei orthodoxæ in mare deturbatus, iconem B. V. manu apprehensam nec à morte dimisit. Omnia tibi licet auferat prædatrix Libitina: MARIAM tibi nemo de corde, nemo de pectore rapiat. Illud ad eam Justi Lipsii jam hinc emigrantis iterum iterúmq; ingemina: *O Mater DEI adsis famulo tuo cum tota æternitate decertanti, & non me deseras in hac hora, à qua pendet animæ meæ salus æterna!*

*æterna!* Et quoniam vitæ tuæ navicula ad portum æternitatis appellit, ut vicinus cœlo, procul sis naufragio, MARIAM Maris Stellam assiduè respice, aspectúq; illius propitio cursum tuum dirige, memor identidem cohortationis illius, quam ex Mellifluo Abbate desumptam, pauculis pro ratione statûs, in quo nunc versaris, vel mutatis vel additis, hîc tibi propono: (*Hom. 2. super Missus.*) *O quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio,* magis quàm unquam antea, *inter procellas & tempestates fluctuare; ne avertas oculos à fulgore MARIANI sideris, si non vis obrui procellis. Si* (ut plerumq; hoc tempore fieri amat) *si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice Stellam, voca MARIAM. Si jactaris superbiæ undis;* si vanæ gloriæ, si præsumptionis, si diffidentiæ, si blasphemiæ, si timoris immodici fluctibus agitaris, *respice Stellam, voca MARIAM, Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii imminentis horrore perterritus barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: cogita MARIAM. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis MARIAM cogita, MARIAM invoca. non recedat ab ore, non recedat à corde. Ipsam sequens* à cœlo *non devias; ipsam rogans, veniam non desperas; ipsam cogitans* à via salutis *non erras. Ipsâ tenente* ad orcum *non corruis; ipsâ protegente,* dæmonem *non metuis; ipsâ duce* in vitæ hujus exitu *non fatigaris; ipsâ propitiâ* ad optatam felicitatem *pervenis; & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: & Nomen Virginis MARIA.*

Verùm & Joannis in cruce moriens D. JESUS meminit, ut non minùs Sanctos cœli Indigetes, quàm Sanctorum omninum Reginam in morte invocemus. Quo plures sunt hostes, eò plures necesse est esse defensores. Cùm ergo totus infernus in Moribundum conjuret, &, ut ait Simeon ille Mandrita, *in hora exitus nostri adsint Omnes contrariæ potestates, Principes tenebrarum*; ( *Tom. 2. Bibl. PP. coll. 103.*) totum contrà cœlum adversus legiones Tartareas erit evocandum. Huc faciunt Litaniæ Omnium Sanctorum, huc Patronorum illorum memoria, quos in menses sortitò accepimus; huc libellus, qui inscribitur: *Calendarium novum ad bene moriendum perquam utile*; in quo singulis anni diebus sancti alicujus auxilium pro morte imploratur; huc, cujus Nomine lætamur, Sancti invocatio; huc singularis fiducia in Sanctos Quatuordecim Auxiliatores MM. propterea ità appellatos, quòd concessam sibi peculiarem á Deo prærogativam habeant, singulare in morte auxilium ferendi iis, qui mortem illorum pro Christo gloriosè latam religiosiùs coluissent. Sunt autem: Sancti Georgius, Blasius, Erasmus, Pantaleon, Vitus, Christophorus, Dionysius, Cyriacus, Achatius, Eustachius, Ægidius; Sanctæ verò Margarita, Catharina, Barbara. quæ postrema qvantam vim habeat providendi Clientibus suis de supremis Sacramentis, orbi jam palàm est propè universo. Qui Ecclesiasticâ Dignitate eminent, Sanctos Apostolos sibi demereri deberent: qui verò DEO sub diversis Religionum labaris militavêre, fundatores & Patriarchas

Patriarchas ſuos filiali pietate fiduciáq; invocent, ut hi paternam ſolicitudinem gerant eorum in morte, quos vitæ inſtituto morúmq; ſimilitudine dignati ſunt habere filios. Deniq; quos Sanctos quisq; peculiari cultu veneratus eſt vivens, nè deſerat moriens; nec dubitet habiturum ſe felicioris mortis præſidiarios, quos expertus eſt vitæ tutelares. P. Carolus Rolandus ſingulariter S. Mariæ Magdalenæ addictus, pridie feſti illius ex voto jejunabat, eo conſilio, ut ejus interceſsione in actu amoris divini moreretur. voto, ut apparebat, potitus: nam inter affectus flagrantiſsimæ charitatis in Deum expravit. (*Pretioſ. Occupat. morient. c. 14. n. 18. p. 110.*) Certè inter bonæ mortis Patronos meritò referendus eſt ipſe S. Joannes Evangeliſta, qui unus ex Apoſtolis morienti Chriſto adeſse promeruit. Juverit proinde illum cum B. Virgine invocare illâ preculâ: *O intemerata, &c.* quam ſibi quotidianam cùm neſcio quâ cauſâ S. Edmundus intermiſiſset, adfuit S. Joannes, & caſtigatâ clientis negligentiâ, penſum reddi juſsit. Jam S. JOSEPHUS Integerrimus Vir. DEIparæ Sponſus, quantùm nobis illo in articulo opitulari poſsit vel exinde liquet, quòd unus ille in JESU MARIÆq; præſentia mortem obierit, ut certò ſtatueremus, illius nos patrocinio, ſi conſtanter invocaverimus, ſimili nos poſse felicitate beari. Quòd ſi, S. Tereſiâ teſte, hujus Sancti proprium eſt *in omni neceſsitate ſuccurrere*; quantò magis erit in ea, de qua Vates alicubi: *Æquâ lege Neceſsitas ſortitur inſignes & imos: omne capax movet una Nomen?*

Age Moribunde quidquid eſt vitæ ſuper, quidquid vocis & virium in hoc acroama, impende: *Vivat JESUS, MARIA, JOSEPH!* Vis nôſse, quid tibi hæ voces in anagramma contextæ promittant, *JESUS, MARIA, JOSEPHUS? Si peris, hos ama: Vives.*

# CAPUT XVI.

## *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Matth. 27. v. 42.*

VOx *iſta*, inquit S. Leo, *non querela, ſed doctrina eſt*: erudiens nos, eousq; deveniſse Chriſti dolores, ut noluerit eos etiam internâ DEI aſsiſtentiâ mitigare. Scilicet illum voluptatis torrentem qui ex viſione beatifica redundabat, per ſummum miraculum ita repreſsit Dominus, ut ne unam quidem ſtillam in ſenſum admiſerit, quâ enormes animi corporiſq; cruciatus leniret. *Magnum eſt, & verè magnum*, ait Thom. Kemp. (*l. 2. c. 9.*) *quàm humano, tam divino poſse carere ſolatio; & pro honore DEI libenter exilium cordis velle ſuſtinere, & in nullo ſeipſum quærere.* M. Joannem Avilam Virum Apoſtolici Spiritûs & Sanctitatis cùm morti Vicinum Rector Collegii acceſsiſset, diceretq; non dubitare ſe qvin magna tum ſolatia, Pater optimus animo perſentiſceret: *Immò verò*, reſpondit æger, *magnas ob mea peccata anxietates.* Ex quo deducit Vitæ Scriptor Ludovicus Granatenſis, hanc ſu-

premam

premam horam esse necessariò magni momenti, & judicium illud, quod consequitur, esse debere admodum terribile, cùm tantus DEI Servus illius exitum exhorruerit: magnam præterea cordis humilitatem illi Viro fuisse, quæ illum in Sancto timore eousque continuerit. Quid si in eum tu quoq; statum, Moribunde, devenias, ut extremis constrictus angustiis, omni humano solatio destitutus, etiam à DEO tibi desertus esse videaris? Non eo quidem modo (absit!) quo desperabundi se à Deo deseri, & nullam sui curam geri impiè blasphemant: sed si præter ariditates mentis, scrupulos, tristitias, ac tentationes, nullum insuper animum affectúmq; sentias ad bene operandum, aut patiendum & resistendum, eò quòd intellectus nullas percipiat illustrationes; nullos voluntas pios motus, proposita, alacritatem, robur ac patientiam: ut fit, qvando anima tota velut tetris nubibus obducta, arida, & exsucca, non nisi summâ vi atq; cum Dolore cor ad cœlum potest attollere. Rariùs quidem bonus Deus sibi fideliter famulatos sic habet; imò quos in vita his modis exercuit, solatiis in morte singularibus in præmium plerumq; afficit: Si tamen id nostrûm cuiquam, DEO ità disponente, contingeret; habemus quem in hac quoque ceteris omnibus majore calamitate imitemur JESUM Ducem Dominúmq; nostrum de infami ligno desolatum planè, nefandos inter dolores clamantem: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quemadmodum ergo ille in extrema illa desolatione constitutus, profuudissimè si unquam

aliàs defixam animo ſuo prioris decreti propoſitiq; radicem retinens, totum ſe rurſus in Patris manus & voluntatem transtulit: ſimiliter & nos facere oportebit. Subſcribo hic, quæ in rem præſentem ſapienter ſanctéq; conſcripſit Euſebius noſter Nierembergius Vitæ divinæ cap. 16. n. 4. Iſto, inquit, tam triſti perturbatoq; rerum ſtatu, dare nihilominus operam oportet, ut ſine dolore, certè ſine querelis ſimus, & cum divina voluntate conformes, déq; tanta deſertione minimè triſtemur. Noxia etenim poteſt eſse hæc talis triſtitia, ſi ab amore proprio naſcatur, & in maximam puſillanimitatem deſperationémq; adducere. Sed neq; viribus induſtriâq; humanâ à Purgatorio iſto ſpirituali, ubi animam Deus in hac vita attinet, eluctari quis poteſt & evadere. Illud unum tali in re ac tempore optimum factu eſt, ut magis ſe quis magìsq; in profundum ſui nihili demergat, ìnque divinas manus penitiſsimè reſignet, & omni ſe bono indignum fateatur, infinitæq; gratiæ ac benevolentiæ divinæ adſcribat, quòd non pro eo ac merebatur, apud inferos ardeat! Ac licet in eo ſe loco quiſpiam & conditione conſtitutum eſse deprehendat, ut neq; orare, neq; DEO gratias agere, neq; ullum alium internum actum exercere ſibi poſse videatur: hac ſe tamen ille cogitatione unâ ſoletur, DEI ſe, non ſuam implere voluntatem, & poſse ſe ſemper velle, quod vult Deus. Licet etiam in actibus reſignationis poſitivè & re ipsâ eliciendis parem moleſtiam difficultatémq; experiatur: nunquam tamen Deo reſiſtat, ſed negativè ſe habeat, ſi-

nendo

nendo DEUM facere, quod ejus Majestati placet; & coram ipso quàm profundissimè se demittat, prorsúsq; annihilet. Examinet se item, num quam culpâ suâ aliquâ causam desolationi huic (id quod majore cum periculo conjunctum est) præbuerit; déq; ea culpa, non autem de pœna, sincerè apud animum suum doleat. Verùm desolationes istæ sæpenumero existunt absq; omni hominis culpa, singulari Providentiæ divinæ dispositione, Sanctorum quorundam fidelitatem probare volentis. Quare caveat diligenter Anima, quotiescunq; asperiorem sibi Deum sentire videtur, nec propterea existimet, ejusdem se gratiâ benevolentiáque excidisse: Nam longè aliter res habet. atq; ut concedam ipsi & largiar, etiam excidisse, adhuc non habet, quamobrem honestè conqueratur: quandoquidem benigniùs molliúsq; tractari non meretur, quàm Filium sibi carissimum tractaverit Pater Æternus, quando desertus ab omnlbus planéq; desolatus, inter mortuales ærumnas de cruce pendebat, séq; à Patre derelictum fuisse palam est professus. Hæc Nierembergius.

## Caput XVII.

### *Sitio.* *Joan. 19. v. 28.*

Magna evacuatio sanguinis magnam Christo sitim procreabat: quam tamen qui vel frigidæ oblatione restingueret, de multis hominum præsentium millibus inventus est nemo. Aceto demum

hyſsopóq; modico non tam reficitur, quàm vexatur exhauſtus & moriens DEUS : ut diſcat Ægrotus inter ceteras morbi ærumnas ſitim quoq;, quæ plerumque infirmis eſt domeſtica, patienter ferre, faſtidia cibi potùsq, tolerare, non admittere pretioſas, guſtui ſvaves, palatóq; arridentes ſorbitiunculas, multò minùs appetere, aut, ſi deſint, murmurare. Quæ quidem doctrina cùm Chriſtianis omnibus deberet eſse communis, tum Religioſis hominibus propria, ut qui ſe Chriſto Crucifixo peculiari ratione conformare decrêrunt. Nam ſi ſecùs fieret, verendum eſset utique, ne & ipſi Chriſto ſitienti aceti acrimoniam pro vini ſvavitate propinare cenſeantur. Cenſuit enimverò in ſuis de Rege Dolorum Meditationibus *Martinus Hincza* Provincialis Poloniæ S. J. ( *Medit. 43. p. 3.* ) ubi de Chriſto ſitiente agens: *Huc etiam referuntur*, inquit, Religioſi nonnulli minimè profectò religioſi, qui legum ſuarum negligentes, ſuæ profeſsionis atq; adeò ſui ipſorum immemores, cùm Mater religio in cibo potúq; præbendo neceſsitati potiùs, quam voluptati obſequitur, cùm ægrotantium ſaluti magis quàm appetentiæ proſpicit, tametſi majore, quàm ſæculares amici ſoleant, ſedulitate omnia præſtet, illi tamen pauperis at ſanctæ Parentis piam aſpernati charitatem dapes oblatas reſpuunt, retrudunt, aut in culinam remittunt; ſumptuoſa verò, opipara, & gulæ arridentia appetunt. Atqui Chriſtus, cujus videlicet imitatores ſe præferunt, tam longo atq; difficili labore fractus, extremis laboribus penè exhauſtus, jàmq; moribundus aceto potus eſt,

ne

ne imitatori verò in mediis laboribus deeſset frangendi appetitûs exemplum, néve ſervus illius ſuos labores difficili admodum pretio æſtimaret, ſed *quàm humillimè de ſuis meritis ſentiret hic enim ſita perfectio eſt.* Procul ejusmodi moribus, qui hîc meritò arguebantur, abfuit *Goſvvinus Nickel*, S. J. Generalis X. Nam cùm ardentiſsimâ ſiti morbi diuturni tempore plerumq; torqueretur, ita ut areret vehementer lingua: tamen oblatam aquam nive refrigeratam ad abluendum os & humectandas fauces guſtare noluit, ſed Davidis inſtar libavit eam Domino, dicendo; id merum eſse blandimentum ſenſuum. Aliàs etiam ex præſcripto Medici cùm tempore refectionis in ſummis caloribus apponeretur ei vinum frigefactum nive, propter ardorem internum, converſus ad miniſtrantem: *Quomodo*, inquit, *hoc ego bibam cùm Communitas hujusmodi potu frigido careat? nec adduci potuit, ut admitteret.* Inſiſtebat nimirum Pater optimus piis Anteceſsorum ſuorum veſtigiis Franciſci Piccolominei, cui recreando, cùm aqua recentior allata fuiſset, aliquando totam effundebat, dicebátq;: *Libemus DEO! Hoc enim eſset quærere delicias in cruce, in qua me poſuit Deus.* (*Pret. Occ. c. 25. n. 11.*) itémq; Vincentii Carafæ, cui in gravi quadam affectione, vitalibus pariter animalibúsq; ſpiritibus deſtituto, cùm Medici decoctum ex carneo pulli cremore expreſsum ei fovendo præſcripſiſsent; turbari Vincentius hujus medicationis nuntio, perſvadere Medicis affectiones hujusmodi ſibi non eſse inſolitas, utendum minimè primo morbi

veſtigio

vestigio tam exquisitis remediis, vulgaribus escis citiùs convaliturum. ( *Vitæ l. 2. c. 1.* ) Sed parendum fuit. quamvis deinde, decoctum illud rejiciente stomacho necesse foret illi levando viliores cibos præbere. Eidem aliàs cùm violento capitis dolore laboranti cochlear sacchari rosacei porrigeretur, vehementer contristatus est. Fierìne siquidem posse, ut ipse unus, ista in domo, his cupediis egeret? talèmne morbum esse suum, ut sine deliciis curari neqviret? *Quid enim aliud faciendum esse, si aut mors in foribus adesset, aut ipse unus aliqis ex Patribus eximiis esset, quem vel servare vel amittere Societatis magni interesset?* ita ipse. Usque adeó ab omnibus fomentis Vir sanctus abhorrebat. Sic enim, ut scribit Vitæ illius Author, philosophabatur. Siquis fel Christo in cruce pendenti propinatum, immisto melle condire voluisset, haud dubiè svavitatem illìus divinam obtudisset; neq; verò qui illam contemplando hauriunt, adeò probarent: ita si dolorum acerba delicatioribus remediis ac escis condire voles, peribit illis sapor ille ac svavitas, quæ sola placet palato animarum, quas cepit verus ac genuinus amor JESU Crucifixi. Vincentii Carafæ & assecutus mentem, & exemplum secutus est *Sancius de Ausa* S. J. religione Novitius, sed veteranus virtute. Cùm enim Vallisoleti in longo 80. dierum morbo Siti æstuaret, linguâ totâ exustâ & aridâ, licèt aquam semper ad manum haberet, quâ os elueret, nunquam tamen bibit; ut obedientiâ suam patientiam redderet pretiosam: sitientem interea in

cruce

cruce JESUM pro patiendi regula contemplatus. Tulit operæ pretium ea Christi sitientis imitatio. Biduo ante mortem pendens in cruce Christus Sancio apparet, qui sibi videbatur vasculum liquoris pretiosi Crucifixo porrigere, ac illi dicere: *Domine mi, sumne ego inter electos tuos?* Affirmante Christo; adjecit æger: *Domine, accipiésne me tecum?* Tum Christus: *Ita fili, accipiam te mecum.* Et biduo pòst eò abiit, ubi torrente voluptatis suos potat Deus. (*Pret. Occup. Nadasi c. 25. n. 12.*)

Verùm enimverò aliud præterea mysterium illa Christi jamjam morituri sitis comprehendit. Docet nempe Ægrotos mortiq; vicinos fontem divinitatis sitire, ad cœlum toto pectore anhelare, beatæ patriæ desiderio extabescere. ad eum ferè modum, quo Propheta Regius rerum humanarum pertæsus, cœlestium cupidus æstuabat, dicens: (*Ps. 62.*) *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Et iterum: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam & apparebo ante faciem DEI?* (*Psal. 41. v. 3.*) Et alibi: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* (*Psal. 83. v. 2.*) Similibus horum desideriis si flagrarent ægroti atq; moribundi, nihil dubium, quin solatium in suis doloribus, in afflictionibus gaudium, jucunditatem in molestiis invenirent. Nam, *si tanta est dulcedo futuræ gloriæ*, ut sentit *Serm. 8. de transfigur.* S. Augustinus,

nus, *quòd si una gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret*: quidni vel ipsa tantæ voluptatis memoria cum spe adipiscendæ illius conjuncta possit hujus vitæ ærumnas delinire, morborúmq; & mortis aculeos refringere? urebantur Martyres, secabantur, distorquebantur, tormentis exquisitissimis usq; ad tyrannidis defectionem mactabantur: & erat in animo tranquillitas, serenitas in vultu, risus in ore, gaudium in toto corpore. quæ tam limpidæ insolitæq; voluptatis vena? Cogitata impendentis gloriæ dulcedo, quæ illis amarorem omnem in amorem, acerbitatem in svavitatem convertit. Audiamus D. Augustinum de uno quodam horum Athletarum ita perorantem. *Hoc* (cœleste bravium) *attendens in agone suo gloriosus Christi Athleta, non exhorruit carcerem: ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Contemplabatur enim, quantùm in ænigmate infirmitas humana oculum mentis in æternitate figere potest, quanta sint supernæ civitatis gaudia: & ea enarrare non sufficiens, admirando clamabat*: Quid mihi est in cœlo? *Quasi diceret: Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo, quâ nobis à conturbatione hominum remotis, in abscondito faciei suæ JESUS Christus Dominus noster, reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Hujus perfectæ libertatis*

*tatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium; & si millies posset mori, non putabat se hanc dignè posse aliquâ ratione promereri.* Hæc Augustinus. (*Serm. 44. de Sanctis.*) Et tamen quàm rari sunt, qui torrentem illum divinæ voluptatis ardenter sitiant, quiq; cogitationes suas ac desideria in cœlum attollant. Quid mirum? Scitum Philosophorum est: *Nihil posse contrariis motibus tempore eodem moveri*, ac repugnare, ut lapis sursum simul ac deorsum feratur. Quia ergo pleriq; immodico hujusce vitæ tenemur desiderio, quia deorsum vergimus temporalium rerum amore abrepti, fit, ne possimus corda cœlum versùs erigere. Quòd si solicitè consideraremus (cum S. Gregorio loquor) (*hom. 37. in Evangelia*) *quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescerent omnia, quæ habentur in terris.* Si nobiscum ipsi accuratè reputaremus *illa supernæ civitatis quanta sint gaudia; Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari: dubio* procul ad hæc bene perpensa *inardesceret animus, jámq; illic cuperet assistere, ubi se speraret sine fine gaudere.* Nunc facilè nobis obrepit oblivio cœlestium, quia terrestrium memoria viret. Fastidiuntur æterna, cùm caduca amantur. timemus mortem, quia cœlum non appetimus. & quanquam de eo narrantibus libenter aures demus, nos tamen diutiùs vivere delectat. At verò da hominem

minem DEI verè amantem, da cœlestis patriæ sitientem, da mundanarum rerum fastidio affectum; vocabit ille ultro mortem, salutabit venientem, *Lætantes imus! lætantes imus!* cum B. Aloysio lætus cantillabit. Da Ægidium, da Ignatium, da Piccolomineum, da quemcunq; alium videndi DEI desideriis inflammatum: videbis primum illum solâ Paradisi voce in ecstasim abreptum; alterum ad mentionem mortis lacrymis liquescentem; tertium, inter ægrotandum, fenestram cubiculi sæpius, unde liber pateat in cœlum prospectus, aperiri jubentem, atque suspirantem: *Heu quàm sordet terra, dum cœlum aspicio! Paradisus! Paradisus! Brevi, brevi, spero istic erimus!* (*Pret. Occ. pag. 215.*) videbis denique quemvis alium cœli cupiditate flagrantem, ad mortis propinquæ denunciationem toto animo exultantem.

Tu quoque ut pariter exhilarescas, Moribunde, vide etiam atq; etiam, ut hanc cœli sitim in te quanto potes studio accendas, foveas accensam. Pudeat, si amator quispiam Sponsæ suæ desiderio majori conflagret, quàm tu illius de qua B. Joannes. *Vidi,* inquit, *civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* (*Apoc. 21.*) Quò acriùs dolores sævierint, hoc vivaciùs cœlestis patriæ sitis exardescat. *Non dolet crux in nervo, dum animus est in cœlo.* Ad ultimum supplicium ducebatur Symphorianus, flos adolescentiæ. de constantia filii solicita mater, his illum stimulis adoritur: *Nate, nate, memento æternæ*

*vitæ,*

*vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem Christum intuere: Tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* ( 22. *Augusti.* ) Decretum divinitus nullique evitabile supplicium peccati mors est. Ad hoc quisquis properas, ut illud feliciter habeas, memento æternæ vitæ, cœlum suspice: huc vota, huc oculos, huc animum dirige: ibi regnantem Christum, tibiq; coronas nectentem intuere; cujus amore si flagras, si desiderio videndi exæstuas, tibi vita non eripitur, sed mutatur in melius: quandoquidem auctore Gregorio Magno ( *loco cit.* ) *temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potiùs dicenda, quàm vita; & ipse quotidianus defectus corruptionis, nihil est aliud, quàm quædam prolixitas mortis.*

## Caput XVIII.

### *Consummatum est.* Joan. 19. 30.

BReve verbum, sed ingens documentum, *Consummatum est.* Quo scilicet Rex & Magister noster docere sanos voluit in bene cœptis constantiam, infirmos in morbis invictam patientiam, moribundos in doloribus extremis perseverantiam. Nec ablusit exemplum à verbo. quantis machinis oppugnabatur morientis constantia! Regem Jsraëlis, Salvatorem orbis, DEI Filium adoraturam clamat Judæorum concio, fidem pollicetur, si de cruce descenderet. Frustra. Perseveravit in cruce, Opus redemptionis ursit, laborem consummavit; *Consummatum est.*

Nempe filiorum Dei eſt in ea cruce, quam cuiq; de-ſtinavit Deus, perſeverare ac mori. Sit illa licet & diuturnitate longa, & gravis magnitudine; non deſerenda tamen, quoad illam auferat, qui dedit. An eſse quidquam ſine conſtantia magnum, aut laude dignum potuit? absq; hac patientia in impatientiam, humilitas in ſuperbiam, fiducia in puſillanimitatem, fortitudo in timorem degenerat. Authorem hujus aſsertionis habeo D. Bernardum ita perorantem: (*Serm. 22. de parvis.*) *Perſeverantia ſola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorſus absque perſeverantia nec qui pugnat, victoriam; nec victor palmam conſequitur. Vigor virtutis conſummatio eſt; nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium: Soror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeverantiam: nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Deniq; non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit in finem, hic ſalvus erit.* Cujus ſalutis quàm es cupidus, tam eris amans perſeverantiæ, Moribunde. Quapropter ubi vis morbi invaleſcere, accumulari dolores, tædia decumbendi ſubrepere cœperint, fac animo forti, magnóq; ſis; pectus obarma; tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam; *aſpice in auctorem fidei & Conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ* (*ad Hebr. 12. v. 2.*) ab hoc vires, & robur, & gratiam perſeverandi poſtula, donec dicere liceat: *Conſummatum eſt*; hoc eſt: Con-

ſummata

ſummata ætas, conſummatus vitæ curſus, conſummatum promerendo cœlo conceſsum tempus eſt. Perfeci à Deo commiſsum opus, exornavi animam, eiq; ſtolæ, quâ compta mens eniteſcit, pretioſa intexui ornamenta, ipſam ſcilicet JESU & MARIÆ vitam, quorum ego, quoad poteram, veſtigia inſiſtebam. Impoſui finem labori, quem tu, Conditor mei, mihi mandâſti; exſorbui calicem dolorum, quem propinâſti: fac ergo, quæſo, initium præmio, quod promisiſti. Admitte hanc animam ad beatiſsimum præſentiæ tuæ conſpectum, ut poſt innumerabilia beneficia, quæ in me effudiſti, dicere compos tui posſim: *Conſummatum eſt.* Plus mihi dare jam Deus non poteſt, poſtquam ſe dedit. Conſummatum eſt, quo fruor, bonum; extra quod nihil conſummatum eſt, nihil bonum.

Jam verò poſt exemplum Chriſti Perſeverantis in cruce, poterit quoque tuam, Moribunde, conſtantiam non parum ſtabilire recordatio vivarum Chriſti Patientis Imaginum; illorum, inquam, quorum invicta virtus in gravibus diuturnisq; morbis perferendis præclarè enituit. Quid enim tu pateris dolorum, quod non ante te ipſi ſuſtuliſsent? Tuſsis te exagitat? Tuſsi, obſtructionibus & aſthmate multis annis affligebatur Venerabilis Beda: Plato Monachus duodecim annis cum hujuscemodi morbo conflictatus eſt. Stomacho laboras? Dolore ventriculi aſsiduè torquebantur S. Chryſoſtomus, S. Tereſia, S. Catharina Soror S. Birgittæ, quæ poſtrema ne ſacrâ quidem Euchariſtiâ refici potuit, cùm maximè

vellet. Podagra te cruciat? Excruciabat & S. Stapinum Episcopum, & S. Gregorium Papam, adeò, ut toto biennio ne ad momentum quidem de lecto potuerit surgere. Paralysin sustines? sustinuit eandem, quoad vixit S. Servulus; qui pro templi Romani SS. Apostolorum jacens omni membrorum usu destituebatur. Putredine diffluis? Vermibus toto corpore scatebant Sancti Daniel & Simeon Stylites: & Simeon quidem siquem ex eo examine evagantem cerneret, loco reponebat, dicens: *Edite quantum libet ex eo, vermiculi, quod vobis præparavit Deus.* Sancta verò Bona cùm ex innumeris vermibus pectus & mamillas rodentibus perdiu, & restituendi conditione datâ petenti S. Dominico unum porrexisset, in unionem versus, redditúsq; denuò in vermem rediit. Hydrope tumescis? Tumuit usque adeò Benjaminus Vir Religiosus, ut minimus illius Digitus unius manûs ambitu circumdari vix potuerit. Diarrhæâ tabescis? Hoc genere morbi annos quatuordecim laboravit S. Bernardinus; quo tempore totidem Conciones de agonizantium doloribus scripsit. Deniq; longo nimiùm tempore decumbere, jámq; in Clinicorum ordinem tibi esse redactus videris? Atqui Maria Oegniacensis sex & triginta annos, S. Lidvina tricenos & octo, quadragenos S. Coleta, S. Nicolea Virgo quinquaginta annos, octogenos deniq; Maria Diatia inter acerbissimas ægritudines extraxêre: quæ postrema nihilo minùs longiorem à Deo vitam exposcebat, quò plura ac plura pro eo pati liceret; Confer nunc tuam, Ægrote, cum horum

harúmq;

harúmq; fortitudine constantiam, patientiam cum longanimitate, & si pusillanimitas tibi suggerere cœperit; non posse te ampliùs hoc illúdve ferre, illo Augustini dicto suggestionem retunde: *Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?* quasi verò ipsi virtute suâ, & non Dei adjutorio ista pertulissent. Interim fide Deo, *sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, & sustine. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe*; (*Ecclı. 2. 3.*) atq; certus esto novis doloribus nova Coronæ tuæ, quæ texitur in cœlis, incrementa, novos ornatus accedere. Quæris, Quandónam tandem diadema illud perficietur? Dicam, ubi, quid acciderit S. Guilielmo Abbati, narravero. Ad centuriam annorum, quos in summa vitæ asperitate, nec paucis ærumnis exegerat, duo tantùm deerant grandævo Senecioni. Ad perennis vitæ fontes toto pectore anhelantem famulum suum volens tantisper recreare Dominus cœlum illi patere jussit, ibiq; Angelos coronam auro gemmisque distinctam texentes ostendit. Quam Senex ut vidit, *Cuinam pararetur*, quæsivit: *Tibi*, inquiebat ex alatis Ephebulis unus. Porrò autem roganti Guilielmo, *Quando tandem illa perficienda esset*; Angelus reposuit: *Donec passus fueris satis*. Pro certo habe, tametsi non videas, Moribunde, Coronam tibi pariter in cœlo ab Angelis texi, tot gemmis illustrem, quot molestiis vitam trahis difficilem, cumulatam doloribus. Ergo age, bonum certamen certa, cursum consumma, ut, quæ tibi paratur, adipiscaris

Coronam justitiæ, quam tibi reddet justus Judex in illa die, quâ sua cuique pro meritis præmia, pro demeritis pœnæ decernentur. Quod si rursum quæras: Quando illa perficietur? Responsum idem quod Guilielmus habe: *Postquam passus fueris satis.* Cùm fuerit patiendi finis, tum erit principium vitæ, cujus nullus est finis. quando licebit, *Consummatum est*, dicere cum Christo, tum licebit regnare cum Christo.

# CAPUT XIX.

## *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* *Luc. 23. v. 46.*

HOc fuerat ultimum Christi in cruce expirantis, Verbum, quod utinam esset familiare ægrotis, Moribundis omnibus extremum suspirium! Nihil hoc verbo dulcius dici, nihil cogitari salubrius potest. *Quid enim dulcius Patre*, inquit S. Augustinus, *& tanto Patre, tam dulcissimo atq; misericordissimo?* (*Lib. de Spir. & anima.*) Hoc verbo profitemur *Fidem*: quia Deum rerum omnium Principium, à quo procedunt omnia, & Finem ultimum, in quo conquiescunt omnia, agnoscimus: exercemus *Spem*, quia nos paternæ illius providentiæ committimus: *Charitatem & Resignationem* demonstramus, quia nos in sinum illius filiali quodam amore extradimus. Hoc verbum est à Spiritu Sancto singulari instinctu Regio Prophetæ inspiratum, atq; ab eo-

dem

dem Propheta psalmo 30. sanctè usurpatum. Hoc verbum Sacerdotes, dum Horas Canonicas complent, quotidie semel, iterum, ac tertiò pronunciant; utinam eâ pietate, quâ in morte vellent! Hoc verbo discimus majorem spiritûs, quàm corporis curam gerere, atq; evitare illorum præposteram, ne dicam, insanam solicitudinem, qui de pompa funebri soliciti, corpus propediem in vermes abiturum splendidè efferri decernunt; quid futurum sit animâ, parum providentes. Hoc verbum cùm plurimis aliis, tum morienti Ludovico de Ponte S. J. Viro Sanctimoniæ laude ornatissimo fuerat postremum, qui conjectis in Christi Crucifixi simulacrum oculis, cùm creberrimè ingeminâsset illud: *Domine, dum veneris judicare, noli me condemnare*, in ea voce: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, vitam finiit admirabilium virtutum heroïcis exemplis illustrem. Cujus vestigia qui volet insistere, familiarem sibi versiculum eundem faciet, ac tum usurpabit potissimè, cùm se nocturnæ quieti, soporiq; dabit, ut in promptu quoque sit olim oculos in mortis somnum clausuro. In ipsa verò lethali ægritudine plurimùm profuerit, sumpto in manus Crucifixo, animóq; & oculis ad illum conversis hoc ferè affectu versum illum condire: *Pater!* Pater sancte, Pater juste, Pater benedicte: cujus potestas immensa, sapientia æterna, bonitas infinita; Pater pijssime, cui proprium est misereri semper & parcere; Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; Pater amantissime, qui cùm diligis tuos, usq; in finem diligis eos: cùm

 veniat

veniat hora, ut transeam de hoc mundo ad te Patrem meum, & revertatur spiritus meus ad te, unde exivit: ecce in manus tuas commendo hunc spiritum meum; in manus, inquam, tuas, quæ me de nihilo creârunt, quæ me perditum recreârunt, quæ me stantem tenuerunt, ne caderem, lapsum erexerunt, ne jacerem, quæ mihi quidquid sum, quidquid possum, quidquid habeo, misericorditer tribuerunt; in sanctas ac venerabiles manus tuas, quæ tot ægrotos sanârunt, tot parvulis benedixerunt, tam miro prodigio panes multiplicaverunt; in illas tuas manus commendo spiritum meum, quæ propter me tamdiu laborârunt, pedes discipulorum laverunt, & tandem in cruce feralibus clavis confixæ fuerunt; in manus tuas, in quibus descripsisti me, in quibus positæ sunt sortes omnis felicitatis meæ; in quibus solis sita est mea quies, extra quas nulla quies; commendo fiducialiter, trado voluntariè, dono liberaliter, reverenter consecro spiritum meum à te creatum, pretioso tuo sanguine redemptum, innumeris gratiis cumulatum atq; ad æternam, uti spero, beatitudinem destinatum. Suscipe, Pater spiritum, quem dedisti mihi & beatorum spirituum societati conjunge, ut ibi te glorificet, ubi omnis spiritus te DEUM ac Dominum laudat in secula seculorum.

Hos inter, similésq; affectus Crucifixi vulnera manibus, pedibúsq;, ac lateri impressa reverenter dissvavietur Æger, & perinde ac si spiritum in illa suum immittere velit, fugienti animæ tanquam columbæ asylum salutis quærat in foraminibus petræ,

in

in caverna maceriæ. Hinc verò transeat ad benedictioris repetenda oscula, sive ut morientis Christi spìritum ipse excipiat, sive ut suum ipse in illum transfundat. Ad mentem videlicet B. Ambrosii, *libro de Isaac & anima* (*cap. 3.*) ita disserentis: *Osculum est enim, quo invicem amantes sibi adhærent, & velut gratiæ interioris svavitate potiuntur. Per hoc osculum adhæret anima Deo Verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantûm: sicut etiam qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere.* Qvibus Ambrosii verbis congruit illa Guilielmi Abbatis meditatio Dominum suum ità alloquentis: *Qui se dulcius osculantur, mutuos sibi suos spiritus dulcius infundunt, quorum quibusdam odoribus dulce habent perfundi. Accipe tibi, Domine, nec respue totum spiritum meum, infunde mihi totum tuum.* Huc facit, quod de S. Wolfgango Episcopo Ratisbonensi proditur eum, cùm horam ultimam sibi adesse sentiret, evocâsse ad se dilectum alumnum Tagmonem (qui postea Magdeburgi Archiepiscopus obiit) jussisséq; ori suo os componere, & fugientis sui Spiritûs inspirationem à Domino accipere, eidem vaticinantem, fore, ut post annos decem aut suis pares, aut certè majores honores adipisceretur. (*Baron. a. 1003.*) Quasi illi diceret, quod olim S. Macario Magnus Antonius: *Ecce spiritus requievit super te, erisq; mihi deinceps hæres virtutum mearum.* (*Vit. PP. l. 8, c. 19.*) Jam, ut S. Wolfgangi spiritum discipulus ore legit: sic

suum Moyses super os Domini moribundus efflavit. Nam, ubi vulgata legit; *Mortuúsq; est Moyses servus Domini jubente Domino*; (*Deut.* 34. 5) Hebraïca sic habet: *Mortuus est Moyses super os Domini*, sive *ad osculum*, vel, *in osculo Domini.* quasi hoc officio Deus erga dilectum sibi famulum fungi voluerit, ósq; suum ori ejus apprimens, morientis spiritum intra se receperit. Utrumq; videlicet rarissimum optatæ felicitatis pignus: Osculum Christo Morienti figere; sive ut illius spiritum haurias, sive ut illi tuum tradas. id enim si fiat, jam tutò dicere licebit; *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

## CAPUT XX.

### *Inclinato capite tradidit spiritum.*

*Joan.* 19.

VEnitur aliquando post cursum ad metam, post navigationem ad portum, post Præmissas ad Consequentiam, post Dictionem ad Perorationem, post mortis præparationem ad ipsam demum mortem; & à Moriente Christo exempla moriendi petuntur. Moritur ergo JESUS (ô grande Sacramentum!) moritur auctor vitæ, moritur Creator, Pater, & Redemptor noster: moritur Dominus, & mori recuset servus? Si ille innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, insuper & naturalis Dei Filius, nullo mortis debito obstrictus, tamen ut paternæ voluntati, & immenso suo erga nos amori

satis-

satisfaceret, pro nobis morti subjici voluit, ejúsque gustare amaritudinem: quàm indignum erit, si nos, non tantùm naturâ servi, sed etiam filii iræ cùm simus, insuper & tam multa peccârimus, mortem nobis tot titulis debitam refugiamus, nec nisi ægro atque aversanti animo excipiamus? Certè S. Ambrosius *in libro de obitu Satyri* fratris, negat moriendi conditionem à nobis recusandam, *cùm ad solatium nostri, filium suum unicum Pater pro nobis dederit ad mortem*; aitq; *esse magnum pietatis mysterium, ut mors corporis nec in Christo esset excepta: ac licet naturæ Dominus, carnis tamen quam susceperat legem non recusaret. Quod igitur* (concludit) *majus est solatium, quàm quòd secundùm carnem & Christus mortuus est?* Cùm præsertim mors antea terribilis ac minax, ipsâ Christi morte, jam quodammodo exarmata sit, ejúsq; stimulus in Domini corpore retusus: *Miseratione etenim Domini* (ut iterum pulchrè S. Ambrosius) (*L. 5. in Luc. c. 5.*) *cœpit quies esse, quod mors erat; qui nobis soporem mortis vertit in gratiam voluptatis.* Et alio in loco: *Ubi resurrectionis fides est, non mors, sed species quietis est.* (*L. 6 in Luc. c 9.*) Moritur ergo Christus, & mori detrectet Christianus? Horreant mortem Ethnici, timeant Pagani, qui Christum non nôrunt; dicat de iis Seneca: *Quis sine querela moritur; quis non recusans, quis non gemens exit?* (*L. 5. de benef. c. 17.*) propria boni Christiani laus esto; sui Ducis exemplo libenter mori, & dispari licet commutatione, ei vitam suam promptè

promptè reddere, qui ei antea liberalissime donârit suam.

Jam verò *pro quo* moritur Christus? Respondeat Apostolus Paulus: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* (*Galat.* 2. 20.) Dicat Nicæni Concilii Symbolum: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis,* &c. *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est.* Cùm ergo ille pro nobis sit mortuus, eamus & nos, & moriamur cum eo, si nequimus pro eo. Si non possumus propter illum mori sanguinem fundendo, moriamur voluntati ipsius obsequendo; innumeras vitas si haberemus, omnes ipsius arbitrio parati profundere. quod quidem unicum erat in votis P. Thomæ Hollando, Anglo S. J. cùm mortem ab Hæreticis in odium fidei sibi inferendam sub furca in curru consistens, injecto jam in collum fune præstolaretur: *Suscipe* (ità precabatur) *æterne misericordiarum Pater, qualemcunq; me vides. Suscipe indignam hanc patientiam meam, & ea, quæ patior: quæ quidem omnia sanctissimæ Unigeniti tui consociata Passioni totâ voluntate offero tibi, in unione & conjunctione omnium eorum, quæ passus est dulcissimus Redemptor meus JESUS, unà cum meritis omnium, qui in lege naturæ, in lege Moysis, & in lege gratiæ Divinæ Majestati tuæ accepti fuerunt, sunt, & erunt gratiora, ut spero futura. Ignosco, ignosco omnibus. Si tot mihi vitæ forent, quot capiti crines, quot oceano guttæ, quot cœlo stellæ, quot cœlorum Domino perfectiones, illas ego*

*omnes*

*omnes pro sempiterna proximorum salute libentissimè impenderem.* (*Nadasi in Pretios. Occupat. mori. in societ. c.30. n 2. pag. 238.*) Ita P. Thomas, qui quoties mori pro salute proximorum optavit, toties DEO semetipsum offerre in Sacrificium studuit; satis gnarus, si pro Christo infinities moreretur, morientis ipsius amorem erga se minimè exæquaturum.

*Quomodo* enim (si hoc præterea quærimus) Salvator noster moritur? Si spectemus animum, ex amore erga nos moritur, cum desiderio plura pro nobis patiendi moritur. Patiebatur ille quidem in cruce magnam sitim, quam ei evacuatio sanguinis creabat; Sed major erat sitis plura patiendi. *Habuit aliam sitim*, inquit Blosius, (*Explan. Pass. c. 15.*) *putà ampliùs patiendi, atq; evidentiùs suum nobis amorem demonstrandi.* Amor Christum in crucem egit, amor mori cöegt: quem alloquens Doctor Seraphicus: *Nimia fuit*, inquit, *dilectio tua: & in hoc apparet abyssus tuæ immensæ pietatis. Non enim in te video causam mortis, nisi superabundantiam charitatis.* (*Part. I. Stim. c. 2.*) Jam ego vos cupio valere, ô Clavi, quorum retinaculis Christus in cruce fixus perseverat: aliis ille funibus, aliis vinculis hæret cruci illigatus, amoris nempe vinculis, funibus charitatis. *Corpus enim suscipiens*, ait Ambrosius, (*Serm. 3. in ps. 118.*) *Dominus JESUS Christus charitatis se vinculis illigavit, & non solùm se membris nostris & passionibus naturalibus, sed etiam Cruci vinxit.* Quamobrem feliceter & ampliùs,

ampliùs, qui inter selectissimos divini amoris affectus expirantes, etiam tum amorem spirant, Christiq; morientis amori mutuo amore vices aliquas referre nituntur, quos non tam ægritudo corporis, quàm vehementia charitatis conficit, quorum in ore & pectore illa Francisci Seraphici flammula continenter gliscit: *Absorbeat, quæso Domine, mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui, ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori!* Quo loco cujus ego aptiùs meminerim, quàm tui, tot prolium DEO militantium Mater juxtà, & Virgo, Teresia, cui velut Phœnicì sancti amoris incendio conflagraturæ melos illud concinit Ecclesia.

*Regis superni nuncia Domum paternam deseris Christum datura aut sanguinem Terris Teresa barbaris: Sed te manet suavior Mors, pœna poscit dulcior, Divini amoris cuspide In vulnus icta concides.* Sed redeamus ad Christum. Cujus Morientis exteriorem speciem si consideremus, *moritur in cruce.* Væ mihi, væ illi, siquis Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, clavis religiosæ Cruci semel affixus, excutere hos clavos, atque extra Crucem emori decerneret! In cruce salus; extra crucem, quid nisi perditio? Via ad cœlum crux est; ab hac qui declinat, quomodo non à salute toto cœlo aberrat? Scala est; sine hac quomodo in cœlum conscenditur? clavis est; quomodo absq; hac cœli janua aperitur? Equidem, Auctor fidei & Consummator JESU, hoc unum est in votis, hoc solum in desideriis, vivere tecum & mori

mori in cruce, in gratia perſeverare & amore tui. At iſtud neq; volentis eſt, neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Recordor Saulis ex optimo peſsimi, & contremiſco; reminiſcor Judæ ex Apoſtolo Apoſtatæ, & exhorreſco; multos alios recogito, quorum principium ſalus, ſed finis interitus, & ne ſimile quidpiam ego quoque patiar, extimeſco. Quid agam? Perſeverare in cruce donum tuum, & complementum omnium donorum. Per tuas te miſerationes omnes, per tuam in cruce conſtantiam oro, da mihi hoc donum, méq; in tua cruce, in tui amore, in arrepto vitæ ſanctæ propoſito perſeverare facito, ac tandem inter ſervos tibi fideles conſtitue. Amen.

Moritur præterea Chriſtus in cruce *nudus* qua de re ita Ambroſius: (*in Luc. c. 23.*) *Nudus crucem aſcendit: talis ergo aſcendat, qui ſeculum vincere parat, ut ſeculi adjumenta non quærat.* Obſecutus tum Ambroſii monito, tum Chriſti exemplo Franciſcus Magnus Minorum Pater, iſtinc migraturus *ſuper nudam humum ſe totum nudatus proſtravit, quatenus in hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus cum nudo luctaretur.* (*S. Bonav. vit. c. 4.*) Digniſsimus ſanè, quem, ſi non licet, effectu, at affectu certè imitemur omnes, noſque rebus mortalibus omnibus ante mortem ultrò exuamus. Semper hoc fuit proprium Servis DEI elogium: Præter pios libellos uſu detritos, à morte nihil reliquiſse. at Propietariis, (prout cuidam horum fecit S. Gregorius) ſepeliendis pro ſacro loco dabatur ſterquilinium, cujus mantiſsa erat fulmen illud: *Pecunia tua tecum in perditionem.*

Deinde

Deinde moritur Christus *retentâ* in capite *spineâ coronâ. Singularum virtutum coronæ sunt*, Ambrosio teste. ( *Serm.14.in ps.118.*) *Joseph coronam habuit castitatis, Paulus justitiæ, Petrus fidei*; æger & Moribundus coronam Patientiæ ad ultimum usq; spiritum ne dimittat, quæ sola de spinis dolorum colligit rosas Christo spinis confixo gloriosas. Ita se ille visendum aliquando præbuit S. Mechtildi, ( *Vit. l.1. c.24.*) ornatum coronâ variorum florum, quos sese collegisse dicebat ex variis doloribus, quos ipsa in capite pertulisset. Porrò faciliùs dolorum aculeos feret Moriturus, si eos cum suppliciis Salvatoris contulerit. Etenim ingens iste capitis, aut aliorum artuum acutus dolor, ærumnæ istæ calamitarésq; ( ut tu quidem appellas, ægrote ) intolerabiles, spinula solùm sunt ad illum aculeorum exercitum, qui denso agmine sacrum Domini tui caput oppressêre. Ut enim ait S. Augustinus: ( *in Ps.36. p. 2.*) *Quantumcunq; patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremò crucem non pervenies.* Graviter ab æmulis suis premebatur S. Gregorius Nazianzi Antistes; ærumnas verò suas ita solabatur: *Quota*, inquiebat, *hæc sunt pars injuriarum, dum conspueretur Dominus & cæderetur? Omnia non uni conferenda coronæ spineæ duco: per quam me quoq; vitæ asperitate coronari animadverto.* ( *Oratio. 25.*) Gravia sint licet suo pondere quæ tu pateris Moribunde, sint numero multa, genere diversa, tempore diuturna; si tamen

hæc in eadem bilance cum Chriſti cruciatibus ponderaveris, omnia ne uni quidem ſpineæ coronæ conferenda duces.

Adhæc, *extentis in cruce brachiis*, in mortem elangueſcit Chriſtus, qui geſtus eſt protegere aliquem, inumbrare, in amplexum provocare volentis. Rue ergo viciſsim in amplexum Dilecti tui, Moribunde, infer te pia cogitatione in ulnas Patris amantiſsimi, in illum ſinum inexhauſtæ miſericordiæ, in illa brachia ampliſsimæ, immenſæ, & interminatæ charitatis. Expectat enim te paſsis brachiis, paratus te vel ad cor apprimere, vel in ſuum etiam quodammodo pectus admittere, ſi tantùm fidenter atq; amanter ipſius affectaveris amplexus. *Projice te ſecurus in eum* (ajebat ſeſe adhortans S. Auguſtinus) *noli metuere: non ſe ſubtrahet, ut cadas.* (*L. 8. Conf. c, 11.*) Non ſe inquam, ſubtrahet, qui idcirco á terra elevatus eſt, & per ipſam crucem latè diſtentus, ut omnia trahat ad ſeipſum: & ne ſe ſubtrahat, ecce ut fixus inhæreat cruci, neq; tam clavis furoris noſtri, quàm vinculis ſuæ charitatis adſtrictus. Ac, ne tibi fortè adhuc ab æſtu divini furoris timeas, *ſcapulis ſuis obumbrabit tibi*, (*Pſ. 90.*) ideſt, ut explicat idem Auguſtinus, *ante pectus ſuum te ponet, ut alis ſuis te protegat*: tu verò ſecurè dicere poſsis: *In velamento alarum tuarum ſperabo.*

Quid autem ſibi vult, quòd *clamans voce magnâ* moriatur Chriſtus? Iſtud, niſi fallor, ut quidquid locutus fuerit, quidquid egerit, quidquid perpeſsus fuerit Moribundus, ſit quidam boni exempli clamor,

qui non tam aures, quàm corda inſpectantium percellat, atque ad Deum laudandum perpellat. Clamet corpus decenter compoſitum modeſtiam, animus afflictus patientiam, cœlum ſuſpiria, cor Deum, lingua pro obtinendis indulgentiis ſeu ſodalitatis MARIANÆ, ſeu Religionis, JESUM, MARIAM, JOSEPHUM. Hunc boni exempli clamorem à ſuis Alumnis Morientibus requiſivit S. P. Ignatius, quando ita præſcripſit. (*Conſt. p. 6. c. 4,*) *Ut in vita univerſa, ità & multò magis in morte unusquisque de Societate eniti & curare debet, ut in ipſo DEus ac Dominus noſter JESUS Chriſtus glorificetur, ipſiúsq; beneplacitum impleatur; & proximi ædificentur ſaltem exemplo patientiæ & fortitudinis, cum fide viva, ac ſpe, & amore bonorum illorum æternorum, quæ nobis Chriſtus Dominus noſter tam incomparabilibus vitæ ſuæ temporalis laboribus, & morte promeruit & acquiſivit.*

Moritur inſuper *inter latrones* Chriſtus, & cum iniquis reputatur, ut hâc infamiâ, tibi Moribunde, mereatur mortem coronâ comprecantium amicorum ſtipatam. Quòd ſi extra hanc, & inter ſceleratos, aut deſertum ab omnibus te mori velit Deus, nónne ſic moriêre JESU tuo ſimilior?

Ad extremum denique, dum moritur, *caput inclinat* Chriſtus, relicto per annutum illum morientibus non uno documento. Caput enim inclinat, Patriq; mortem jam dudum decretam offerenti libens ipſe annuit: ut ſub vitæ finem ſuperioribus, Patribus Spiritualibus, Medicis, infirmariis prompti obtemperemus,

peremus; ſed Deo imprimis nos mori volenti ultro annuamus, dicamúsque identidem: *Ita, ita Pater; quoniam ſic fuit placitum ante te.* ( *Matth.* 11. 26. ) Caput inclinat, eóq; geſtu Patri æterno gratias agit pro omnibus in ſe, & in nos congeſtis beneficiis; ut nemo ſit noſtrûm, quin priuſquam obeat, Deo primùm, ac deinde Præſidibus atque amicis gratias agat pro beneficiis, quibus erat ab iis in vita cumulatus. Inclinat caput; nósque omnes, Moribundos præſertim invitat ad oſculum, ut in gratiam ejus nos eſse receptos minimè ambigentes, audeamus ad delibanda in cœlo Sponſi cœleſtis baſia adſpirare, ſuſpiraréque cum Sponſa: *Oſculetur me oſculo oris ſui!* ( *Cant.* 1. ) Caput inclinat: quaſi animæ Limbum Patrum aditura iter præmonſtret: Huc tende, huc: hîc latet hoſtis, hîc opima tenetur præda. itáq; læta alacrísq; anima corpore relicto aggreſa hoſtem eſt. O ſi ita quisque noſtrûm vivere, ſi ita mori ſtudeamus, ut, ſi nos à morte Purgatorii ergaſtulum ſubire contigerit, non tam pœnas ibi luamus ipſi, quàm animas pœnis illis ereptas unà nobiſcum cœlo inferamus.

# PARS III.

## De Præparatione ad mortem Violentam.

DIxeram in libelli hujus Præfatione Mortis *violentæ* nomine me intelligere eam, quæ citra morbi alicujus diuturnitatem repente aggreditur hominem, nec ſpatium concedit iis utendi mediis, quæ ad aſsecurandam ſalutem plerumq; ab Infirmis uſurpantur. Ad mortem hujuſcemodi feliciter obeundam tametſi plurimùm juvent ea, quæ hic Parte primâ attulimus; videbimus tamen, an aliquid præterea ſuper, quo illam reddere ſecuriorem poſsimus: priùs verò nonnulla de conditionibus mortis repentinæ attingemus.

### CAPUT I.

### *Mors repentina hominibus familiaris & frequens.*

TRagœdus Poëta dum ſibi miſeram hominum conditionem ob oculos ponit, in illud non tam Poëticum, quàm Catholicum carmen erumpit:

*Ubiq; mors eſt. Optimè hoc cavit DEUS,*
*Eripere vitam nemo non homini poteſt;*
*At nemo mortem.*

*Ubique*

*Ubique mors est.* nullus locus, nullum tempus, nulla est occupatio, cui vacantem hominem mors aggredi nequeat: neque tot laqueis aves, tot casſibus feræ, tot piſces inſidiis patent, quot homo moriendi caſibus. Θαναταρχίαν ſive *Oecumenicum in Mortales omnes Mortis Imperium* à Thanatophraſto conſcriptum, qui volet, inſpiciat, farraginem exemplorum leget, quibus cujusvis ordinis, ſexûs, ætatis homines nullo non loco, tempore, negotio ſubitò extincti memorantur. Unum híc tantummodo referam, quod fuerat Viro cuidam melioris vitæ principium, ut nos quoq; ſimilia ſubitò morientium exempla, ſi quando occurrerint in morum correctionem trahamus. (*Hiſt. Soc. p. 2. l 3.*) Henricus II. Galliarum Rex datâ Philippo II. Hiſpaniarum Regi in uxorem filia, Philiberto autem Allobrogum Duci in matrimonium ſorore conceſsâ, dum omni genere publicæ hilaritatis nuptialem pompam cohoneſtat, ut erat animi excelſi, viriúmque robuſtarum, inire ipſemet voluit ludicrum haſtâ certamen. Inter ea belli ſimulacra cùm facinora rege digna multa feciſſet, laxato diuturnâ concertatione oris integumento haſtæq; ab æmulo impactæ fragmine, quà viam reperit, ſubeunte, graviter in oculo ictus, interiit. Sic luſus quamvis lætus, letho, lugubríque leſſo mutatus eſt. Interfuit huic ſpectaculo civis Florentinus acri judicio Vir, & genere nobilis, qui mortem vago errore fugitans peregrinas percurſabat oras. ubi enim pro gracilitate corporis, & valetudinis tenuitate, adhæc triſtiore habitu ingenii, diſertè Medicus ei de-

 nuncia-

nunciavit, nisi ab solitudine in hominum se congressus, hilariorémque convictum daret, haud diu luce usurum, tale vitæ genus instituit. Aliquot sodalium fidissimorum assumptis, quibus etiam, ut erat copiosus, ad impensam suppeditabat, cum iis varias obire regiones instituit, ita temperans iter, disponénsque mansiones, ut in quemcunque locum in id tempus occurreret, is ei locus vel amœnitate præcipuâ, vel religiosâ celebritate, aut humanâ hilaritate ac pompâ visendum aliquid fruendúmq offerret. In hunc modum Italiâ propemodum omni, tum Hispaniâ, & aliquot ad Septentrionem peragratis provinciis, nuptialis, quem dixi, apparatûs famâ, quæ longè manârat, excitus, ad tempus Lutetiam venit. Hîc verò cùm multa sanè magnificâ ac mira spectâsset, ad extremum regio illo casu ita est commotus, ut curâ ad se conversâ scitè animadverterit, ubique mortem hominibus esse paratam. Itaque totum se DEO in Societate JESU mancipavit. Ludovicus Corbinellus hic fuit, cui multum Societas universa & Collegium nominatim Romanum debet. (*Hist. Soc. p. 2. lib. 3.*) Cujus exemplo si plures incertam mortis horam secum ipsi arbitrarentur, haud dubiè, quamvis asoti ad meliorem protinùs frugem converterentur. *Optimè hoc cavit DEus*, dum moriendi legem nullo certo tempore vel loco circumscripsit: nimirum ut visis inopinis mortalium casibus cautiores facti, vel aliorum periculis saperemus. Nam, quæ toties accidere aliis experimento compertum habemus, *Cur nobis* (inquit Clichtovæus) *etiam accidere posse non autumamus?*

*namus.* (*c. 8. de doctr. morien. c. 38.*) Memor esto judicii mei ( inquit Ecclesiasticus ) sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie. *Haud dissimiliter quispiam ex iis, qui improvisâ morte sublati sunt, dicere nobis poterit:* Mihi hodie, *scilicet contigit ex hac luce repentè tolli; cras tibi idem fortaße continget. Et quamvis divinâ bonitate, ut confidimus, sub umbra alarum suarum nos protegente, id nobis forsitan non sit eventurum; bonum tamen est, & salutare idipsum vereri & timere, ne eveniat, ut si quando evenerit, nos imparatos nequaquam surripiat.* Ità Clichtovæus. Parisiensi Doctori suffragatur Cancellarius Joan. Gerson illo epiphonemate: (*Serm. Dom. Septu.*) *O fallacißimas Spes! ô expectationes vanißimas! quot peremerunt adolescentes? quot ad cœlum evolaturos juvenes, in æternæ damnationis præcipitium ruere coëgerunt? Non vos moveant inertium sermones: quoniam qui manè dedit, nec meridiem, nec ipsam quidem tertiam spopondit: sed ut Sapiens sapienter affirmat:* omnia in futurum servantur incerta. *Quam multi prolixos vitæ annos aut somniantes, aut sibi promittentes uno die, unâ horâ, unóque momento miserabiliter perierunt!* Videtur hunc mortis repentinæ terrorem DEI nomine iniquis Judicibus incutere velle Regius Propheta, dum violatæ justitiæ reis ità pœnam interminatur: *Vos autem sicut homines moriemini:* (*Ps. 81.*) Judiciariæ potestatis prærogativâ in divinam qvandam dignitatem evectos laudaverat: *Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes:* Sed quia jus in iniquitatem de-

torſerant, quia conceſso ſibi munere neque caſtè, neque integrè fungebantur, pœnam illis ſeverè denunciat, quósq; vitæ longævitate diis immortalibus ſimiles eſse voluiſset, in ordinem mortalium redigendos minatur: *vos autem ſicut homines moriemini.* Verùm quid habet terriculamenti iſta comminatio? *Omnes morimur, & tanquam aquæ dilabimur ſuper terram.* ac, ſi Plutarchum (*Quæſt. moral.*) audimus; *quemadmodum nemo miratur liquatum, quod eſt liquabile: ſectum, quod eſt ſectile; combuſtum, quod eſt combuſtile: ita nihil mirandum nos omnes emori, cùm ſimus mortales.* Si dixiſset Propheta: moriemini ſicut pecora, &, ut proverbio fertur, *ſine lux, ſine crux* peribitis; fuiſset graviſsima terroris incutiendi ratio: homines, hominum more mori, nulla pœna videtur. Immò verò maxima. Volucres, piſces, feræ, omniáq; propè animalia certum quoddam ſpatium vivendi præſtitutum habent, nec facilè, ſi habent, quo vitam ſuſtineant, pereunt, pleráque humanis uſibus & commodis cadunt; ſoli homines in rerum omnium abundantia, nullis inſidiis appetiti, cùm minimè putant, ex hac vita decedunt, nullus eſt illis locus, nulla ætas, nullum tempus à morte immune, proprium eſt iis repentinò mori. Quando igitur ſceleratos Judices *ſicut homines morituros* prædicit, repentinæ morti ceſsuros in ſpolium comminatur Propheta. quod genus ſupplicii niſi grave eſset, neque illud deprecaretur David ipſe dicens: *Ne revoces me in dimidio dierum meorum;* (*Pſal.*

( *Psal. 101. v. 25.* ) neque Ecclesia tam solicitè Deum exoraret: *A subitanea & improvisa morte libera nos Domine.*

# Caput II.

## *Mortem repentinam improbis maximè metuendam esse.*

Ratio in procinctu est, ex manifesto damnationis æternæ periculo deprompta: Siquidem eodem puncto, quo Peccator moritur, gurgite orcino mergitur: nunquam emersurus. De hoc hominum genere est illud Jobi vaticinium. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* (*c. 21. v. 12.*) Ut igitur qui glaciem inambulat, eò est meticulosior, quò illa tenuior: ita Peccatori hoc magis est timenda repentina mors, quò hæc illi infestior. Esse autem improbis insidiosam mortem subitaneam sapientissimus Regum sensisse videtur. dum ait: *Nescit homo finem suum.* (*Eccl. 9. v. 12.*) Græcè καιρὸν unde Hieronymus: *Nescit homo tempus suum.* & Symmachus, *Opportunitatem suam.* Nimirum si homo nosset ultimam illam suæ vitæ periodum; quàm hæc illi foret opportuna! vix unquam salute suâ periclitaretur. Nunc autem latet homines illa salutis opportunitas; & quia latet, multi, qui procul eam putant esse,

dum ſemper eam excipere negligunt, pereunt. *Fronte capillatâ, retro eſt occaſio calva.* Subdit Eccleſiaſtes. *Sicut* piſces capiuntur hamo, & ſicùt aves laqueo comprehenduntur: ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit Enucleemus ſingula. *Sicut piſces capiuntur hamo.* Qui *piſcium* nomine, niſi mali ſignantur, qui ſecuriſsimi mortis, in mediis voluptatum fluctibus dum luſitant, lethalem mortis hamum vorant, ſubitòq; expirant? Quò facit Chaldaicus paraphraſtes, qui non quoſvis piſces, ſed, *piſces maris* vertit: ut enim his eſt maris ſalſedo: ſic illis peccati turpitudo comes. *Sicut aves laqueo comprehenduntur.* In Hebræo eſt *Tſiphorim,* quæ vox propriè *paſſeres* ſignificat, Salaciſsimos avium, quarum naturam moribus exprimunt impii, eôq; etiam earum inſtar laqueo comprehenduntur. *Sic capiuntur homines in tempore malo.* Septuaginta vertunt: *illaqueantur homines*; illi videlicet maximè, de quibus Apoſtolus: carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis. Hi namque vel maximè paſſerum ſimiles ſunt; furtis & rapto viventes, liberè vagantes, nullis adſtricti legibus Errones, canoris dediti nugis, nunc viridi membra ſub arbuto ſtrati, nunc ad aquæ lene caput ſacræ voluti, nunc in aprico campi gramine ſupinati; multi temporis, multarúmq; opum prodigi alienarum; quoniam non ſerunt, neque metunt, in labore hominum non ſunt, &cum hominibus non flagellabuntur; ſed deniq; ſubitæ mortis, tanquam aucupis inſidiis excepti, tenaci voluptatum viſco impliciti ſuâ cute rem ſolvunt aucupi, nequidquam perennis incendii

dii pœnam deprecati. Hanc enim facilè vitare potuiſsent, niſi præcipites in exitium, Antabatarum more, ruiſsent, niſi oculos clauſiſsent, ne viderent cœlum, retéq; extenſum. Fruſtra enim jacitur rete ante oculos pennatorum. *Cùm eis extemplo ſupervenerit.* Prudenter hîc Cajetanus & Pineda noſter obſervant inevitabilem repentini ſupplicii neceſſitatem deſignari, quæ à ſuperioribus cauſis impendeat. Porrò quæ ſuperiora ſunt, præterquam quòd ineluctabilem perniciem afferant, illud etiam habent, quòd vix videantur, & caveri nequeant, quòd minimè ſint oculis ſubjecta. Eodem facit interpretis Chaldaici paraphraſis: *Quod ruiturum eſt ſuper eos puncto uno cœlitùs.* Quæ verba non ſucceſsivum quendam motum (ut loqvuntur Philoſophi) ſed celeritatem fulmini cœlitus devolanti ſimilem, & inſtantaneam mutationem ſignificant. In hac autem neq; conſilio ullus eſt locus, ut irruens periculum evitari poſsit. Eſt igitur, quod ſibi à ſubita mortis irruptione metuant improbi, quando ipſa illorum peccandi libertas eos moriendi periculis objicit; perinde ut pullos gallinaceos falco vel accipiter tum facilè abripit in prædam, cùm illi corte caveáq; egreſsi, procul domo vagi ad libertatem camporum aſpirant Pleni ſunt annales exemplis eorum, qui vel in ipſo peccandi æſtu, vel obruti ſceleribus, vivere ſubitò deſierunt. Liceat de plurimis unum alterúmve deligere. Vir in Alſatia de Comitum genere, dum pro more à meridiana quiete generoſo vini hauſtu parat ſomnum abluere, videt ante ſe craterem cryſtallinum repentè

diſsilire.

disſilire. Rei novitate conterritus, alterum Scyphum vino impleri jubet; quo item fracto, mortis præſagus, Confeſsarium inclamat, diſsimulantibus eam curam domeſticis. Rupto deniq; jam tertio vitro, atq; ad extrema declinante Hero, Bruntrutum ad P P. Societatis Confeſsarii evocandi causâ excurritur. Sed dum famulus itinere ſibi notiſsimo, ſylvulâ interjacente totam noctem oberrat, Herus ante noctem mediam fit funus. (*Stengelius de Ovis Paſchal. emblam.74.*) Quàm verè Auguſtinus: *DEUS pœnitentibus veniam promiſit, peccantibus pœnitentiæ ſpatium non promiſit.*(*Tr.33.in Joa.*)Et Poëtarum quidam:

*Cui pœnitere cùm licet nunquam libet,*
*Huic pœnitere cùm libet, nunquam licet.*

Hoc Comite haud paullò infelicior fuit Princeps Salernitanus (nomini parcitur) qui fortè conſpicatus Veſuvium montem flammas eructantem: *Dubio procul*, inquit, *ſceleratus quiſpiam dynaſta propediem extinguetur.* Solet enim Veſuvius, quoties alicujus flagitioſi dynaſtæ mors imminet, flammas ejectare. Sibi ipſe Princeps infelix, malum omen cecinit. Mox enim eâdem nocte cùm illicitis cujusdam lupæ complexibus ſecurus indulget, expiravit. (*Damianus l. 1. ep. 9. ad Nicol. Pont.*) Minimè profectò morus fuit Thomas ille Morus, quando ſic ſentiebat:

*Siquis ad infernos properat deſcendere Manes*
*Huc iter accelerant balnea, vina, Venus.*

Debet ſuam huic verſiculo experientiam Myſtes quidam in Gallia, non tam Numini, quàm Veneri devotus, quantò ditior, tantò vanior, qui ſui ſacer-

dotii votique vel immemor, vel contemptor, primùm domestico infamis pellicatu, mox etiam (velut ævo nostro Lutherus Hæresiarcha) publicis nuptiis celebratis, sacrilegum vesperi thalamum subiens, dum suæ misceretur adulteræ, repentè Sacrilegam animam exhalavit. *Sic, sic remunerari debuit* (epiphonema est Cardinalis Petri Damiani) *qui de Sacrario Domini ad exolitum lupanar suúmq; volutabrum transire decrevit.* (*Petr. Dam. ep.14. c.6.*) Quæ profectò tragica in flagranti, ut ajunt, scelere morientium exempla, quid aliud peccatorem monent, quàm ut ipse quoque, quorum vitam imitatur, exitus perhorrescat? Quàm facile est vitrum humi allisum frangi, tam facile hominem derepentè mori. *Non magno negotio*, ait Gregor. Nyssenus, *utrem spiritu exinaniri cernis, si vel modicum pandatur os, aut spiraculum pateat: neq; est difficile hominem momento temporis animam emittere.* (*contra differ. bapt.*) ut proinde nihil æquè cordi Mortalibus esse expediat, atque illam Sapientis admonitionem: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* (*Eccle.7.*) Ubi *stultitiæ* nomine Peccatum intelligi, ex plurimis aliis Paginæ sacræ locis possumus conjicere. Cùm igitur dicit: *Noli esse stultus*; perinde est, ac si dehortetur: Noli peccare, noli peccato inhærere, noli salutem in discrimen vocare. Quæ verò hujus dehortationis potissima ratio? *ne moriaris in tempore non tuo.* id est, quantum fas est assequi, nè fortè subitò, improvisè, & imparatus hinc abripiâre. Duo namq; sunt tempora morti nostræ statuta. alterum à

Deo,

Deo, alterum à nobismetipsis, Tempus à Deo decretum est verum & infallibile. *Posuisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* (*Job.* 14.) &, *Mensurabiles posuisti dies ejus* : (*Psal.* 38. 6.) Id verò quod à nobismetipsis imaginatione nostrâ constituitur, fallax est & incertum. Homo plerumq; diuturnam sibi vitam pollicetur, & hoc est tempus ipsius: quod si à morte præventus subitò ex hac vita tollatur, moritur in tempore non suo, atq; ita imparatus moritur, supplicio deputandus æterno. Quamobrem quisquis ista legis, noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Noli sceleribus indulgere inducias, noli vitam longam & diuturnam sperare; sed potiùs time mortem repentinam, & ad moriendum omni tempore paratus esto; cùm fieri posit, ut hoc ipsum tempus, quo vivis, sit tuæ morti à Deo constitutum. Ita videlicet quàm maximè sapies, & propulsatâ stultitiæ notâ, repentinam illam calamitatem effugies, quam refractariis peccatoribus minatur vindex Deus apud Salomonem: *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit, cùm irruerit repentina calamitas.*

(*Prov.* c. 1. v. 24.)

# Caput III.

# Caput III.

## Morti repentinæ Justos etiam obnoxios esse.

Usitatum est divinæ justitiæ in sceleratos homines subitâ morte, tanquam commerito dignóq; ipsis supplicio animadvertere secundùm illud Psalmographi: *Mors peccatorum pessima*; (*Ps. 33. v. 22.*) & illud D. Cæsarij Ep. *Percutitur hác animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est DEI.* Hinc *pessimæ mortis* nomine Theodoretus attendens proprietatem verbi Græci πονηρὸς intelligit *pravum & malum* genus mortis, quæ scilicet non sit communis reliquis hominibus, sed amplius aliquid & gravius habeat, sicuti Assyriorum interitus, qui mortem formidabilem subiêre usq; adeò repentè & inopinatè Angeli cæde prostrati, Ità ferè Theodoretus. Quare commonetur impius tanti discriminis illis Sophoniæ verbis: (*cap. 2. v. 1.*) *Convenite, congregamini gens non amabilis, antequam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem*, id est, antequam repentino turbine & sæva tempestate subitò exortâ & pulvere excitato obruamini, repentino nimirum interitu, quí velut æstiva tempestas vos momento prosternat, & brevìssimè transeat, nullâ longioris morbi præcedente molestia.

Quæ quidem utcunq; se sic habeant: non semper tamen aut vindictæ divinæ, aut improbitatis hu-

manæ argumentum erit repentinus ex hac vita exitus, imò verò singulare divinæ providentiæ munus repu-tandum, si eo tempore mors hominem abripiat, quo is Dei gratiâ vestitus, jus habet adeundæ hæreditatis æternæ. Non diffiteor multa esse lentæ mortis, commoda, quippe quæ spatium indulgeat saluberrimis Sacramentis muniendi animum, de rebus suis rectè disponendi, exercendi patientiam in morbo, præmittendi egregios virtutum omnigenarum actus: si tamen ita saluti nostræ consulere statuit svavissima Dei providentia, ut eam subita morte securiorem reddat, quid amplius requiramus, nescio; cùm Sacramentorum ipsa perceptio eò spectet, ut in divina gratia perseverare possimus. Adde, quòd hinc subitò migrantes liberi sint à gravissimis tentationibus & insidiis, quibus lento in agone positos summâ vi, & extremis conatibus dæmones impugnant. (*Eccle.9.12.*) *Nescit homo finem suum*, nescit quod mortis genus, lentúmne, an violentum sibi magis ad salutem proficiat. *Omnia in futurum servantur incerta*; tum sciet, cùm placuerit supremo Numini revelare. S. Joannem Eleemosynarium Patriarcham Alexandrinum Mercator adierat, oblatis eidem septem auri libris, multúmq; rogans, preces pro filio funderet, iisdémq; felicem navis onerariæ ex Africa reditum à Deo impetraret. Fecit quod rogabatur piissimus Præsul, cùm interim filius moritur, navis rerum omnium, salvis tamen vectoribus, ex tempestate patitur jacturam. Tristissimo casu perturbatum navis Dominum consolaturus S. Patriarcha, secundùm quietem eidem

comparet,

comparet, itáq; affatur. *Quid tu ita mœres? Salvum volebas filium: eſt verò ſalvus, & à vitæ malis illæſus. Quòd ſi diutiùs vixiſſet, evaſiſſet improbus, eóq; indignus, qui eum creaverat. Porrò navis, ni oraſſem ego, una cum tuo fratre, & vectoribus omnibus periiſſet.* (*Ribad. Flore Sanct. part. 2. 23. Jan.*) En, ut proſit interdum derepentè, ac præmaturè mori. *Mors mala non eſt*, ait Auguſt. *quam bona vita præceſſit. Neq; enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur ipſam mortem* (*lib. 1. de civ.*) Peſsima mors eſt, quam ſocia mortalis delicti culpa damnat; pretioſa, optandáque, quam divina ſtipat gratia. Deprecatur, ſcio, Eccleſia mortem ſubitaneam: Sed non ſimpliciter, verùm improviſæ conjunctam. *A Subitanea*, inquit, *& improviſa morte libera nos Domine.* Subitanea mors bona eſſe poteſt, improviſa nunquam. Improviſa enim aliud nihil eſt, quàm non præviſa, imparata, ex inopinato ſuperveniens, & hominem ad piè moriendum paratum non reperiens. Talis autem mors quoniam ſemper mala eſt, idcirco Eccleſia non ait abſolutè, *A ſubitanea morte*, verùm adjungit, *& improviſa.* Ad rem appoſitè S. Anſelmus: *Non nocet bonis ſi occidantur, vel ſubitâ morte rapiantur. Non enim ſubitò moriuntur, qui ſe ſemper cogitaverunt morituros.* Quis omnes recenſeat etiam è Sanctorum catalogo, quos repentina mors hiſce terris ſurreptos cœlo inſeruit. Sanè Sancti Amatus, Caſsius, Fauſtus, Virgilius, Garganus, Leontinus Felix, Juventius, Vincentius, Galdinus, Decoroſus, Gaudentius, Agathonicus, Belinus, Catharina Virgo

sanctæ Birgittæ filia, Demetria, Theoclia, Sabina, Hilaria, ac alii aliæq; in sacris fastis repentè obiisse traduntur. Illud, quod de S. Simeone stylita memorant, non parum habet admirationis Columnæ insistens multos annos inter perpetuas Dei adorationes extraxerat, mirum cœlo & hominibus spectaculum factus, cúmque se coli undique videret, petiit à Deo fulmine tolli, tanquam eâ morte à Deo vindice plecteretur. impetravit. cœlum tamen eodem momento petiisse cognovit Julianus Stylita, dixitque: *Ecce frater meus Simeon à fulmine dejectus interiit, & anima ejus transit cum tripudio & exultatione.* Quæ ubi narravit Raderus, meritò illud epiphonema subscripsit: *Itáq; reprime judicium, quando hic, ille, & quicunq; alius atroci mortis genere sublatus dicitur. Nullum mors facit impium, sed impia vita deprehensos usitatâ viâ ad lethum ducit; nec id semper, Sæpe scelerati pacatè obeunt, innocentes cum ingenti tormento.* Hæc Raderus. Legitur de quodam literato (ait Holckot *lectione 48. & Kaisersberg Domin. Septuag.*) quòd mortuus inventus fuerit sedens inter libros suos in sella, & habens in gremio suo librum apertum. Cúmque alii compatientes advenirent, & multùm de tam subita morte contristarentur; considerantes diligentiùs, invenerunt manum illius libro injectam, & indicem extentum in illud sapientiæ: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* (*Sap. 4.*) Justi nimirum præoccupantur ne diutiùs vivant, injusti, ne vivere deteriùs pergant. illos præoccupat mors ad refrigerium, hos ad incendium.

illi mortem obeunt subitaneam, isti improvisam: ac idcirco mors illorum pretiosa, horum pessima. Inter pretiosas, quantumvis repentinas mortes, referendam esse mortem P. Francisci Cardosi è Societ. JESU Sacerdotis & vitæ anteactæ integritas, & mortis occasio, & ejusdem circumstantiæ facilè persvadent. (*Annuæ Coll. Ulyss. anni 1604.*) Is propter egregias animi dotes omnibus apprime carus, Concionator dicendi gratiâ præstans, at virtute, modestiæ præsertim præstantior, utpote cum summa voluptate ad puerorum, lixarum, mancipiorúmq; institutionem sese demittens, pridie suæ mortis de filio viduæ, qui defunctus extra portam civitatis Naim efferebatur, Ulyssipone dixerat tanto animorum motu, ut cùm semper eximiè diceret, nunquam dixisse meliùs putaretur. Horis item pomeridianis eandem de morte incudem repetens, infinitam hominum multitudinem suspensam attinuit, qui cygnæam illam vocem non sine dolore postea recordabantur. Ergo vir ille tantus post canonicam precum recitationem in cubiculo mensæ suæ assidens repertus est ab æditu illum ad sacrificium evocante repentè extinctus, tanto dolore omnium, qui eum noverant, ut fuerit, qui mœrore nimio morbum sibi mortémque consciverit. Felicem fuisse illum repentinum obitum ipse indigitâsse visus est. (*Nadasi in Pret. Occup. c. 37. n. 9.*) Nam alii ad extinctum acciti reperêre porrecto in apertum librum digito, impressa istic hæc verba monstrantem: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Beati utique, & iterum beati, quicunque seu lentè, seu violentè, dummodò

modò *in Domino*, id eſt, DEO cari, nullâ lethiferi criminis maculâ exoſi, cœlo angeliſque grati moriuntur; quiq; nullis nominibus Inimico obnoxii, ſed ad DEI ſolius jura pertinentes, gloriari poſsunt cum Apoſtolo: *Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* (*ad Rom. 14. v. 7.*)

# CAPUT IV.

## *Prima ad mortem repentinam præparatio*, Vigilare.

QUandoquidem, ut vidimus, Juſti æquè ac Injuſti mortis repentinæ telis ſunt expoſiti, diſquiramus nunc, quibus illa clypeis refringi queant, ut ne incautos opprimant. *Minùs enim jacula feriunt, quæ prævidentur*, ait M. Gregorius, *& nos tolerabiliùs mundi mala* (quorum extremum mors) *ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur.* (*hom. 35. in Eu.*) Porrò præſtantiſsimum adversùs præcipites Libitinæ ictus præſidium eſse *Vigilantiam*, *in Arte moriendi* non minùs piè, quam eruditè docuit Robertus Card. Bellarminus, cujus Viri quantò major eſt in Eccleſia univerſa autoritas, tantò ampliorem fidem & gravius pondus verba ipſa apud omnes invenient. Sic igitur ille l. 2. c. 14. *Quibus extra morbum conſuetum imminet mortis diſcrimen, & mors illis impendet improviſa, nullum aliud remedium habent, niſi quotidianam, vel potiùs continuam mor-*

*tis memoriam. Atq; ad hos propriè pertinet gravissima illa Domini Salvatoris admonitio:* Vigilate, quia nescitis diem, neq; horam. *Gravis quidem, sed pretiosa necessitas, quæ ad optima & utilissima compellit. Si diceret Dominus, Vigilate nudi in aëre frigidissimo, donec congeletis, & disruptis undiq; carnibus extinguamini, ut Quadraginta Martyres olim vigilaverunt; nónne id faciendum esset, ut securi ad æternam felicitatem & læti perveniremus? Et si diceret, Vigilate nudi & craticulæ alligati, donec à subjecto igne ardenti cum intimo & accerrimo dolore consumpti de vita recedatis, ut quondam cum S. Laurenrentio actum fuisse legimus; nónne id quoq; alacri animo faciendum esset, ut gehennam ignis æterni evaderemus? At non hoc jubet Dominus Deus noster omnibus nobis; sed ut vigilemus, ne dormientibus nobis fur nocturnus adveniat, & aurum charitatis vel gemmam pretiosissimæ castitatis, vel thesaurum fidei, aut alia veræ virtutis bona nobis in peccato dormientibus eripiat; & somno peccati lethalis oppressi, & morte præoccupati, regni cælestis jacturam faciamus, & in gehennam igne inextinguibili* ardentem projiciamur. *Hæc ille. Quibus consimilia adfert lib. 1. c. 4. ante finem, atq; ità disserit.* Officium servi fidelis est, *ut semper vigilet, incertus quando Dominus veniet. Beati servi illi; quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes:* (Luc. 12.) *Noluit Dominus noster id efficere, ut homines omnes certo tempore de vita discederent, ne toto tempore præcedente indulgerent crapulæ & ebrietati, ludis & jo-*

 *cis,*

*cis, aliisq; operibus malis, & paulò ante mortem converterentur ad Deum. Voluit igitur divina providentia ut nihil esset incertius horâ mortis, dum alii moriuntur in utero matris, alii vix nati, alii in extremo senio, alii in flore juventutis: & rursum alii diu languent, alii repente moriuntur, alii à morbo gravissimo ac penè incurabili convalescunt; alii leviter ægrotant, & cùm videntur à morte securi, crescit morbi vis, eósq; extinguit. Ad hanc incertitudinem designandam Dominus noster in Evangelio dicit: (*Luc. 18.*) Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utiq;, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati; quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. Porrò ut intelligeremus, quanti momenti sit nobis persuaderi incertitudinem temporis, in quo Dominus ad judicandum veniet, sive in morte singulorum, sive in fine mundi; nihil sæpiùs scriptura sancta repetit, quàm vocem illam,* Vigilate, *& similitudinem* furis, *qui venire solet, quando minimè creditur esse venturus. Verbum,* Vigilate, *repetitur passim in Evangeliis Matthæi, Marci, & Lucæ; & similitudo furis non solùm in Evangeliis, sed etiam in Epistolis Apostolorum, & in Apocalypsi. Unde intelligi potest, quanta sit negligentia & ingnorantia, ne dicam dementia & stultitia maximæ partis hominum, qui toties admoniti ab ipso Spiritu veritatis per Scriptores sanctos, qui mentiri non poterant, ut præparemur ad mortem,*

*ut ad*

*ut ad negotium maximum & difficillimum, & à quo pendet sempiterna & summa felicitas nostra, vel sempiternum summúmq; exitium; tamen pauci sint, qui ad voces, vel potiùs tonitrua sancti Spiritus excitentur. Hucusq; sanctus pariter ac doctus Card. Robertus.*

Ex quibus illud conficitur, unumqnemq; hominem, cùm incertæ morti atq; repentinæ subjaceat, ita esse vigilem, ita semper circumspectum debere, ut in omnes peccandi occasiones attentus, diligenter caveat, nequâ viâ sese peccati lethiferi vipera in animum ingerat; imitetúrq; militem aliquem belli tempore pro excubiis vigilantem. Hastâ ille, vel gladio, vel scuto munitus, & quaquaversus circumspiciens, capitale putat, si à somno vincatur: si quem observet obvium, sine mora, *quisnam ille sit*, clamore explorat; confiteri nolentem in proditionis suspicionem vocat, armis, ut hostem aggreditur, planéque de medio tollit. Pariter miles Christi semper pro rationis specula excubet necesse est, nulli se negotio, actioni, aut animi remissioni ita immergat, quin ad id, quod agit animo sit vigili atq; experrecto, ad minimum tentationis irrepentis strepitum illicò assurgat, cogitatum omnem, & voluntatis impetum severè examinet, & illud Josue inclamans, *Noster es, an adversariorum? (Jos. 5. v. 13.)* discernere satagat inter impuritatis fuliginem & honestatis lucem: tum, si quid observet, quod ad illicitam actionem trahat, arma spiritalia subitò expediat, & conatus hostiles actutum profliget. Quibus

verò armis instructus esse debeat, S. Augustinus insinuat, (*De verb. Dom. Serm. 23,*) quando ad vigilantiam ita nos hortatur. *Vigilate, quia nescitis diem, neq; horam. Sic clausit Evangelium: Corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila: & quando corpore dormieris, veniet tempus, ut surgas. Cùm autem surrexeris, præpara lampades. Tunc non extinguantur, tunc in interiore conscientia oleo vegetentur: tunc sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur. tunc te introducat in domum, ubi nunquam dormias, ubi nunquam possit tua lampas extingui.* Ita S. Doctor.

## CAPUT V.

## *Altera ad mortem repentinam Præparatio*, Conscientiam sedulò discutere.

HOc quoque consilium, seu potiùs antidotum adversùs mortis repentinæ virus exhibet modò laudatus Card. Bellarminus, (*de Art. mort. l. 1. c. 4.*) qui eodem capite, quo mortales omnes, ac præsertim subitæ morti obnoxios ad Vigilantiam adducere studuit, ejusmodi Quæstionem proponit: *Sed dicet aliquis, Quid consilii nobis suggeris, ut vigilemus sicut oportet, & vigilando ad mortem feliciter obeundam præparemur? Tum ità respondet.* Nihil utilius mihi occurrit, *quàm ut frequenter per serium consci-*

*conscientiæ examen ad mortem nos præparemus. Et quidem Catholici homines singulis annis ad confeßionem peccatorum acceßuri non omittunt conscientiæ examen, Et rursum cùm ægrotare incipiunt, ex decreto Pij V. Pont. Maximi prohibentur Medici ægrotos secundò invisere, nisi per confeßionem peccata, præmißo conscientiæ examine, expiaverint, Deniq; nulli ferè sunt in Ecclesia Catholica, qui morte imminente, præmißo conscientiæ examine, peccata sua non confiteantur. Sed quid dicemus de illis; qui* morte repentinâ *abripiuntur? quid de illis, qui phrenesi laborant, vel in delirium incidunt ante confeßionem? quid de illis, qui morbi gravitate oppreßi, ne cogitare quidem poßunt, quot & quæ peccata commiserint? quid de illis, qui moriendo peccant, vel peccando moriuntur, ut qui in bello injusto, vel singulari certamine, vel in adulterio deprehensi interficiuntur? Ad hæc & similia prudenter & religiosè vitanda nihil utilius excogitari potest, quàm, ut, qui salutem suam æternam cordi habent, bis diebus singulis, manè videlicet & vespere, conscentiam suam diligenter discutiant; quid videlicet nocte vel die præcedente egerint, dixerint, cupiverint, cogitaverint, in quo peccati labes intervenerit: & si quid ejusmodi repererint, præsertim quod lethale videri possit, non differant veræ contritionis remedium quærere, cum proposito primo quoq; tempore ad Sacramentum pœnitentiæ accedendi. Itaq; petant à Deo contritionis donum, recogitent gravitatem peccati, detestentur ex animo culpam suam, discutiant seriò*

*quis quem offenderit, homunculus videlicet DEUM omnipotentem, & servus inutilis Dominum cœli & terræ; non parcat oculus lacrymis, nec manus tunsioni pectoris; deniq; propositum verum & efficax concipiant, DEUM nunquam amplius peccato irritandi, neq; Patrem optimum offendendi. Hoc examen si manè & vespere, aut saltem semel in die rite frequentetur, vix fieri poterit, ut quis moriendo peccet, vel peccando moriatur, vel ut delirio, vel amentiâ, vel casibus aliis præveniatur. Atq; ex hoc fiet, ut bene ad mortem comparatis nobis neq; incertitudo mortis officiat, neq; vitæ perpetuæ felicitas desit.*

Hæc omnia eruditus Bellarmini calamus. Quibus si quid addam de meo, vereor, ne pulcherrimo phrygiâq; acu picturato tapeti vilem pannum assuam, ornatúmq; minuam. Hoc unum tantummodo rogare est animus, ut, quisquis hæc legit, tam facili salutis remedio uti ne gravetur, quod rite frequentatum, ex mente Bellarmini, & mortem repentinam reddere felicem, & perpetuam felicitatem assecurare potest. Nam quod de Salute, seu honestate morum Romanus Sapiens, ( *Ep.* 25.) hoc idem ego de salute æterna asserere possum: *Initium est salutis,* inquit, *notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideò quantum potes, teipse coargue. inquire in te. accusatoris primùm partibus fungere, deinde judicis, novissimè depreca-*

*deprecatoris. aliquando te offende.* Id eſt, pœnam tibi pro peccatis ſtatue, flagella in cute, pectus plange, lacrymis indulge, &, quod aliquando ſvaſit S. Xaverius: (*Lib.* 2. *ep*, 2) *collectum culparum acervum damnans ultro ipſe prior, & intimo dolore abominans, abſume divini amoris igne, qui ſolus vim habet iis abluendis parem: & verâ contritione, ex Dei ſummè amabilis perfectâ ſuper omnia charitate penitùs concepta, erade quantum potes, ac funditus dele, toto in id connitens conatu cordis.* Hoc examinis quotidiani clypeo niſi ſe adversùs repentinæ ictum muniſset, periiſset æternùm adoleſcens ille, de quo Nadaſi *in ſignis prædeſtinationis* (*Sign.* 12, *n.* 2, *cap.* 1.) Jam veſperi decubuerat, cùm inter diſquiſitionem conſcientiæ venit in memoriam peccati lethalis à ſe die illo patrati. Exhorruit, & illicò accitum è famulis unum ad Confeſsarium præmiſit, nuncians brevi ſe ſecuturum. Necdum conceſserat cubitum Confeſsarius. Adfuit mox ipſe juvenis cum ſuis: & conſcientiâ rite expiatâ domum redux lectulo ſe reddidit, qui ei ſupremus ſomnus fuit, quippe manè è dormiente repertus eſt mortuus, famulis rei conſciis atq; demirantibus. Eat nunc qui volet, & retentâ in ſinu mortalis noxæ viperâ ſomno ſe committat; tibi, Lector, in more contrarium eſto, nec priùs in dulcem declinent lumina ſomnum, quàm, juxta monitum D. Baſilij, *arcanos receſsus, & conclave cordis tui ſolerti indagine perſcruteris.* (*in c.* 1. *Iſai.*) Hoc profectò agere Electorum eſt, Reproborum negligere. Id quod diſertè docet M. Gregorius

(25. *Mo-*

( *25. Moral. c. 6.* ) hâc oratione: *Debet unusquisq; & causas suas apud Dominum, & causas Domini contra se solicitâ disquisitione discutere: debet cautè pensare vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius perversè vivendo responderit. quod Electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Reproborum verò esse proprium solet, semper prava agere, & nunquam, quæ egerint, retractare. Omne enim quod faciunt, cœcâ mente pertranseunt, factúmque suum, nisi cùm puniti fuerint, non agnoscunt. At contra Electorum est, actus suos* quotidie *ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne, quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare.* Quisquis igitur Electorum syllabo accenseri peroptas, hâc Eorum notâ vide nè careas. *Si nos ipsos judicarémus, non utiq; judicaremur, ( 1. Cor. 11. 13.)* Qui Trapezita rationes suas rectè semper compositas habet, quocunque has tempore Dominus reposcat, paratus est reddere. *Diligentibus DEum omnia cooperantur in bonum. ( Rom. 8. 28.)* Etiam repentina mors tibi in salutem proveniet, si per quotidianam cónscientiæ discussionem tuas cum Deo rationes rite composúeris. Hoc te facto & Deum diligere ostendes, & ab eo vicissim amabere. Nam, ut ait mellifluus Abbas: *DEUS diligit animam, quæ in conspectu ejus, & sine intermissione considerat, & simulatione dijudicat semetipsam. ( Serm. 3. de adv. )* Non est ratio melior aut effugiendi divini judicii, aut æternæ pœnæ, quàm accusare seipsum, seipsum punire. Quæ fuit sententia S. Fulgentij ita submonentis: *Intra* (quotidie) *in*

*in secretarium cordis tui. Ibi te accusa, ut valeas accusatione defendi: ibi te convince, ibi te puni, si vis ab æternæ punitionis supplicio liberari.* Serm. in Micheæ cap. 6.

## CAPUT VI.

## *Alia ad mortem repentinam Præparatio*, Qotidie mori.

DE usurpanda in dies, imò in singulas penè horas pravarum omnium affectionum coërcitione, quæ hominem suis passionibus efficit mortuum, éstq; remota quidem, sed perutilis ad mortem lentam præparatio, egimus part. 1. cap. 5. Nunc illud svademus, ut qui morti violentæ seu repentinæ intrepido pectore cupit occurrere, partem sibi aliquam diurni temporis deligat, quâ sese à medicis depositum & morti jamjam succubiturum consideret, iisque animi sensibus & affectibus, quibus extremo illo tempore uti vellet, seipsum exerceat. Cui exercitationi apprimè, ut opinor, serviet *Commendatio animæ*, ab Ecclesia moribundis Fidelibus prælegi solita, hîc verò pag. 192. eatenus tantùm, ut à sanis usurpari possit, immutata.

Quæ si minùs arriserit, aut si varietatis gratiâ plures ejusmodi exercitationis methodos præstò quis habere voluerit, eo apparatu quotidianæ mortis utatur, quem Franciscus le Roy *in Occupatione animæ Crucifixo devoto* hunc ferè in modum proponit.

*Primò*:

*Primò* : Sumptâ in manus aut ſinum Chriſti in cruce pendentis effigie, & mortis horam veluti præſentem cogitatione fingens, agnoſces imprimis ſub illa figura Dominum Creatorem ac Salvatorem tuum, qui amore tui per ſummos dolores & opprobria in infami illo patibulo mori ſuſtinuerit, quo te à diaboli ſervitute eriperet, & morte ſuâ amariſsimâ vitam tibi beatam æternáq; gaudia compararet.

*Secundò* : Teipſum & anteactam vitam reſpiciens, recogitabis illi omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ, dolebísq; vehementer, quòd hactenus negligenter & remiſsè, ſeu etiam nequiter ſceleratéq; vivendo adversùs tantum amorem ingratus, non modò amorem amori non reddideris, ſed ipſum benigniſsimum Dominum tuum criminibus tuis (quod in te fuit) rurſum crucifixeris, divinúmq; ejus ſangvinem tam amanter & largiter pro te fuſum quodammodo conculcaveris.

*Tertiò* : In hujus vecordiæ tuæ cogitatione, timore, dolore, verecundiâ, horrore confuſus, te veluti reum, & quovis dignum ſupplicio ad ipſius pedes abjicies, oculísq; in terram defixis, tanquam ſi offenſi Redemptoris vultum non ſuſtineres, admiſsorum tuorum veniam poſtulabis; rogans, ut infelicem animam tuam mundare dignetur pretioſo ſuo ſanguine, & te veluti prodigum filium de regione longinqua deniq; revertentem recipere in gratiam & brachiis immenſæ ſuæ charitatis amplecti.

*Quartò* : Deinde cum animo tuo conſiderans, Chriſtum JESUM ad hoc veniſse ut peccatores quæreret,

teret, ac pro iis ſalvandis (ac pro te nominatim) mortuum eſſe; in eum amanter te projiciens, omnem ſpem tuam atq; ſalutem in ejus ſacris vulneribus ac ſangvine conſtitues; certus, hujus pretium in immenſum excedere quamcunq; tuorum peccatorum gravitatem. Quorum memoria ſi ſupervacuè te ſolicitet: colliga ea in faſciculum, & in incenſam illam charitatis fornacem, in Salvatoris cor, ad comburendum immitte. Fidenter dic æterno Patri: Pater, peccavi in cœlum, & coram te: ſed pro me interpellat, & pacem exorat Unigenitus tuus. Pro me vulneratus, pro me crucifixus, pro me mortuus eſt. Habes quondam grandis debiti reum: ſed chirographum obligationis meæ filii tui ſanguine deletum eſt. En apocham meæ liberationis. Attende Unigeniti vulnera, & obliviſcere peccata mea.

*Quintò*: Inter hos, ſimilésve affectus, Salvatoris in cruce diſtenti nunc hæc, nunc illa membra complectere: Roſea ejus vulnera identidem diſvaviare: in ipſius corde vulnerato, ceu ſanctæ fiduciæ ara, & divini amoris officina libenter ac diutiùs immorare: os ejus divinum ori tuo, tanquam aut illius morientis ſpiritum excepturus, aut tuum in illum transfuſurus, amanter apprime.

*Ad extremum*: In ipſius manus, corpus, animam, vitam, & ipſam æternam ſalutem tuam fidenter committes; paratus ad omnem ejus nutum & placitum, ſeu te porrò vivere, ſeu mori velit: & totum quod es, aut totum quod habes, opes honores, titulos &c. ad pedes Crucifixi deponens & quaſi reſtituens;

tuens; quòd hactenus & vitam, & ista vitæ seu commoda, seu ornamenta liberaliter tibi præstiterit, ei gratias ages. Tandem veluti pertæsus istius mortalis vitæ, atq; æternorum incensus desiderio, anhelabis subinde ad conspectum ejus, & his B. Gertrudis vocibus ad illum suspirabis: (*Blos, in piis prec.*) *O JESU mi chare, quando corpus meum revertetur in pulverem, & anima mea liberè refluet in te suam originem?* Atq; hæc est illa quotidie ante mortem moriendi methodus, cujus serius ac diligens usus non parum conferet etiam ad vitam ipsam purè & sanctè, adeóq; tranquillè ac beatè transigendam. Bene siquidem vivet, qui bene mori didicerit: sicut è diverso verum est illud Senecæ: *Malè vivet, quisquis nesciet bene mori.* (*de tranq. anim. c. 11.*) Neque verò ulli hoc studium, aut præposterum aut intempestivum videbitur, si cum animo suo reputaverit hinc humanæ vitæ incertitudinem, inde verò rei, de qua agitur, magnitudinem & pondus æstimaverit Quippe cùm ejusmodi exercitatione discamus bene mori, & ars benè moriendi sit artium omnium longè præstantissima; ingens sanè operæ pretium is fecisse censendus est, qui ei disciplinæ quotidie sedulam operam navavit, cui perdiscendæ omnem utiq; vitam æqvum sit impendi. Audiatur modò laudatus Romanus sapiens hac de re ad amicum Lucilium præclarè, & tantùm non Christianè scribens: *Magna res est hæc*, inquit, *Lucili, & diu discenda, cùm adventat illa hora inevitabilis, æquo animo abire,* (*ep. 30.*) Et rursum: *Vix tota vita sufficiat, ut hoc*

ânum

*unum discas, vitam contemnere.* (*ep. 111.*) Et alio tractatu: *Vivere totâ vitâ discendum est. &, quod magis fortasse mirabere, totâ vitâ discendum est mori.* (*de brev. vit. c. 7.*) Ut jam neminem deceat vel aliquam ocii diurni partem in hanc exercitationem non conferre, vel occupationum multitudinem excusationi prætendere. Quotusquisq; enim tam est egens temporis, quin illius portionem aliquam, non modò honestæ remissioni, sed rebus etiam supervacaneis donare possit? aut quæ tandem occupatio ei negotio anteferenda est, quo non jam tempori (quod ajunt) servitur, sed æternitatis Saluti Consulitur? Demus semel, obsecro, S. Augustino impugnanti manus, consulenti assensum; & facilè omnem illum curarum temporalium obtentum, æternæ salutis desiderio, mortisq; nobis insidiantis timore generosè disturbabimus, *Deputentur tempora*, monet S. Præsul, *distribuantur horæ pro salute animæ. Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita hæc misera est, mors incerta: si* subitò *obrepat, quomodo hinc exibimus? Et ubi nobis discenda sunt, quæ hîc neglexim us? An non potiùs hujus negligentiæ supplicia luenda sunt?* (*Lib. 6. Conf. c. 11.*) Luenda profectò. Nullâ enim suppliciorum immunitate gaudebit, qui quamdiu potuit, ea quæ ad bene moriendum faciunt, discere neglexit. Hîc locus Sapientiæ, hîc sibi prospiciendi opportunitas: at verò *nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos,* (*Eccls. 9. 10.*) qnarum adminiculo vel quærendæ, vel assecurandæ saluti consulatur.

Porrò hujus, quam tantopere commendamus disciplinæ vel utilitatem vel necessitatem liquidò perspexisse visus est Venerabilis Pater Cæsar de Bus, is qui Religionis Patrum, quos vocant, Doctrinæ Christianæ, in Galliis autor atq; conditor fuit: qui sive ut morti, etiamsi repentina ingrueret, paratus occurreret, sive ut se assiduè ad sanctiorem vitam incitaret, quendam sibi tanquam sui funeris apparatum, aut veriùs pietatis scenam, istum in morem adornabat. (*Lib. 2. vit. c. 8.*) Aquæ sanctæ vasculum cum peniculo lustrali statuebat in scabello ad lectuli caput; ad pedes verò in scabello altero lucernam collocabat per noctem arsuram: tum sese in strato industriè componens, sumptóque inter manus Christi cruci suffixi signo, piis precationibus commendabat illi animam suam, perinde atque si eam sibi noctem supremam fore intelligeret, aut confestim sibi è vita discedendum esset. Inter quas pias commentationes somno deniq; cedebat; ac luce posterâ eo in habitu evigilans, diem illam sibi singulariter ad sui emendationem à Deo concessam interpretabatur; eámque proinde in lucro ponens, perfectionis vitæ studium arripiebat ardentiùs, quasi se idcircò ab ipsis inferis divinitus ereptum, vitæque redonatum intueretur. Itaq; vir pius (quod sapienti faciendum præcipiebat Seneca) *nullo non die se extulit.* (*Ep. 12.*) Cúmq; ex asceticæ vitæ præceptionibus ad quotidianam Spiritûs renovationem sanctúmq; fervorem concipiendum, duo hæc plurimùm valeant; diem omnem, vel tanquam primam religiosi studii, vel tanquam supremam

mam aſpicere, uno illo invento utrumq; fecit: omni quippe die ſeſe componens, rurſum omni die tanquam ſuperſtes ſibi vivens, quotidie cœpit de integro Deo vivere, quotidie poſtremùm vixit. Quis jam tali viro Elogium illud modò laudati Senecæ attribuendum negaverit: *Ille beatiſſimus eſt & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſolicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi; quotidie ad lucrum ſurgit.* (*Epiſt.12.*) Habuit verò Cæſar egregium ſui imitatorem P. Martinum Stredonium notæ ſanctitatis in Provincia Bohemiæ S. J. virum, Brunæ Præpoſiti Provincialis munere & vitâ defunctum. (*26. Aug. 1649.*) Is enim per quinq; ultimos vitæ ſuæ annos ſingulis noctibus è lecto ſeſe ad B. V. imaginem conferebat. Ibi per Beatam DEI Matrem pro felici morte ſupplex abjectus in genua, ſe in eo Statu collocabat, juxta S. P. Ignatii conſilium, in quo ii eſſe ſolent, qui ultimo vitam inter mortémq; ſingultu migrantem jam animam trahunt, & jacent ad fores æternitatis infinitæ. Ex iis precibus, quas tunc frequentabat una erat: *Rex meus & Deus meus! dona mihi animam meam pro qua oro, & beatam ex hac vita migrationem, pro qua obſecro.* Ita quotidie factitantem Virum optimum mors denique non ſine bonorum omnium luctu Provinciæ ſuſtulit. quam quidem ille mortem tot ac tantis pietatis exquiſitæ exemplis ornavit, ut ad eam ſanctè obeundam vix aliquid præterea deſiderari poſſe videretur. (*Vide Vitam & Nadaſ. Pret. Occup. c.32.*) Utere conſimili exercitatione, Chriſtiane Lector, & quod de paupertate imaginaria animo proponenda ſvadet

Romanus Philoſophus, hoc tu tibi de morte faciendum ſtatue. *Neceßarium* inquit, *judico*; *id quod tibi ſcripſi magnos Viros ſæpe feciße, aliquos dies* (imò ſingulos) *reponere, quibus nos imaginariâ paupertate* (nos dicamus, *morte*) *exerceamus ad veram.* (*ep.20.*) Id profectò ſi feceris, præter alios hujus Exercitationis fructus, illum quoq; referes, ut vel repentinam mortem non modò non ſis formidaturus, ſed cum P. Joanne Sigeſreiter ita provocaturus: *Venias, ô mors optata; non me terrebis. Ego jam paratus ſum, quantum tamen Religioſus* (Chriſtianus) *paratus eße poteſt. Te mors non timeo. Tamen me plus parabo. ſi plus temporis Deus mihi conceßerit.* (*Idem ibid. c. 34. n. 5.*)

# Caput VII.

## *Alia item ad mortem repentinam præparatio*, Teſtamentum condere.

QUos divina liberalitas multis hujus vitæ commodis inſtruxit, auxit opibus, fortunis ditavit, quid eos in conficiendo ante obitum teſtamento ſervare oporteat Part2. cap. 12. inſinuavimus: in præſenti de illo teſtamenti genere agemus, quod condere illi quoque poſsint qui ſe omni facultatum Dominio propter Deum ultro exſpoliaverunt, quódq; in ſpiritualium bonorum libera quadam abdicatione conſiſtit, eorúmq;

eorúmq; hæredem Deum ipſum conſtituit ultimæ voluntatis & motorem & teſtem. Erit autem hujusmodi teſtamenti confectio & frequens ratihabitio non leve adversùs mortem repentinam præſidium: cùm enim hæc omnem deliberandi, déq; rebus noſtris ſtatuendi facultatem præcidat; ſolent prudentes Viri ſuæq; ſalutis amantes his teſtandi modis inſidias illius antevertere, &, quamdiu incolumes ſunt, earum rerum, quas animus poſsidet, dominium in Deum transferre, quæq; tandem ſit illorum ultima voluntas, mortis interventu, quæ ſola legitimum facit teſtamentum, declarare. Hujuscemodi teſtimentorum paradigmata hîc aliqua tum à Religioſis, tum à Secularibus Viris conditorum proponam, ubi priùs formulam teſtamenti Religioſis idoneam in medium adduxero, à R.P. Daniele Pawlowski, S. J. Theologo nuper Caliſsij editam in lucem. (*Locut. Dei ad Cor die 4. pag. 75.*)

## Praxis Teſtamenti Religioſi.

EGo NN. volo facere Teſtamentum ultimæ voluntatis meæ in omnem vitam & mortem meam, & in æternitatem valiturum, ad majorem DEI mei gloriam, & recreandum guſtum, cor, beneplacitúmq; divinum, ut conſulam animæ meæ ſecuritati: quod ex libera & beneplacente voluntate facere deſidero, quantum mihi, ô SSS. Trinitas, Deus meus, per gratiam tuam & Domini mei JESU Chriſti, Pretioſiſsimæq; ejus Parentis, & Sanctorum interceſsionem, licitum eſt.

( Atq; hîc inprimis prævios actus huic Testamento accommodatos expedi; nempe actum Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Gratiarum actionis pro beneficiis totius vitæ, Resignationis in omnem Dei voluntatem, Desiderii videndi SSS. Trinitatem; affectus erga B. V. &c.

## Deinde ipsum Testamentum sic aggredere.)

Ego mi Deus, amore tui, per gratiam tuam spoliavi me omnibus bonis terrenis, omni substantiâ etiam speratâ & concupitâ, spoliavi me omni honore mundano & capacitate ipsius; omnibus voluptatibus etiam per jus naturæ licitis; omni demum libertate propriâ ad faciendum, quod liberet meæ voluntati. His igitur jam pridem in sancto sinu tuo depositis, quæ mihi residua sunt ex dono tuo, de his, juxta beneplacitum tuum ita dispono.

1. Esse physicum corporis & animæ meæ trado omnium creatrici omnipotentiæ tuæ, & protestor, te esse primum principium rerum omnium. Parce, si in primo usu rationis ad te non sum conversus.

2. Jus extremæ necessitatis defendendi vitam meam, trado svavissimæ Providentiæ tuæ, & protestor, te esse Dominum vitæ & necis, subdóq; me tibi ad omne genus mortis.

3. Dotem illam, cujus virtute per potentiam ordinariam secundùm materiam & animam meam in nihilum recidere nequeo, trado divinæ immortalitati tuæ, & protestor me nolle esse, nisi propter te, & ut amem te.

4. Po-

4. Potentiam obedientialem meam trado effectrici miraculorum potentiæ tuæ, & proteſtor, te Authorem omnium ſupernaturalium eſse.

5. Alias tam corporis, quàm animæ potentias trado virtuti & potentiæ Humanitatis Chriſti, cui unionem hypoſtaticam gratulor.

6. Virtutes & habitus naturales, in anima reſidentes trado æternæ Sapientiæ tuæ, eíq; me in æternum diſcipulum devoveo.

7. Paſsiones omnes, & propenſiones meas trado inclinatiſsimæ in genus humanum propenſioni tuæ, cui in æternum adhæreo.

8. Libertatem illam abſolutam, quâ hoc momento maximus peccatorum eſse, ipſúmq; Luciferum adæquare malitiâ poſsum, ſubdo eminentiſsimæ Libertati tuæ, cui me in æternum demancipo.

9. Famam & honores omnes, ſiqui mihi aliquo jure debentur, trado inprimis Supremæ Dignitati tuæ; deinde linguis & vilipenſionibus, & obtrectationibus hominum, ita ut nec poſt mortem ab hac obligatione eximi velim.

10. Merita omnia, ſi quæ habeo in Religione, ratione laborum meorum, trado Religioni meæ; nec ab ea quidquam volo, niſi ut me tractet tanquam mancipium, & me inutile pondus poſt mortem in ſterquilinio ſepeliat.

11. Gratias omnes à te mihi, mi Deus, collatas, & habitus omnes ſupernaturales in anima reſidentes trado & depono in manibus pretioſiſsimæ DEI Matris, proteſtórq; me per manus ejus omnia accepiſse, & hæc eſt æterna proteſtatio mea.

12. Virtutes omnes ſupernaturales & acquiſitas, ſi quæ ſunt, trado infinitæ Bonitati tuæ, & peto, ut tandem conſumat omnem malitiam meam.

13. Fructum adoratorium, & gratiarum actorium omnium actionum mearum trado eminentiſsimæ Majeſtati tuæ ad ſubdendos tibi omnes infideles & hæreticos

14. Fructum impetratorium omnium actionum & paſsionum mearum trado Miſericordiæ tuæ pro exiſtentibus in peccato mortali & agonizantibus.

15. Fructum omnem Satisfactorium tam mearum omnium actionum & paſsionum, quàm alienarum in vita, & poſt mortem ad me ſpectantem trado animabus purgatorii plenè & totaliter.

16. Sic me nudum exſpoliatúmq; in mero nihilo meo coram te ſtatuo. Et ſic, te ſolo contentus, mori volo, agonem meum agoni Chriſti uniens.

Sic me ex hac vita transfer, & miſericordiſsimè fac me eſse id, quod vis, Amen.

Sapiunt hæc omnia hauſtam è cœlo doctrinam R. P. Gaſparis Druzbicki, Poſnaniæ An. 1662. cum magnæ Sanctitatis fama defuncti, cujus in ſpiritu diſcipulus & Vitæ Scriptor fuit. P. Daniel Pawlowski. Illius Vitæ capite 19. continetur prædicti P. Gaſparis Teſtamentum, cujus exordium hoc eſt: *Ego volo teſtamentum pro vita & morte mea facere, propter maxmiam gloriam puriſsimúmq; guſtum DEI, propter certam ſalutem meam faciendam, quam certam facere ita ex mea libera voluntate volo, ſicut ex Dei placito teneor, & ſicut me gratia Dei, meritum*

*JESU Christi, suffragium Pretiosissimæ Parentis MARIÆ adjuvat.*

Seqvuntur deinde selecti ignitiq; in Deum Affectus, quos in locum studiosè reservo: lubet nunc Testamentum P. Georgii Sigismundi S. J. Viri ab innocentia vitæ & Instituti observantiâ commendati proferre, quod propria illius manu conscriptum in hæc verba reperi.

## Testamentum Georgii Sigismundi S. J.

IN nomine Domini N. JESU Christi. Ego Georgius Sigismundi, annorum 38. mensium 7. cùm jam magnis passibus viam universæ carnis ingrediar, & non dubitare possim; quin velox & sit depositio corporis mei, ita de mea domo per hoc Testamentum, quod sanus mente & corpore condo, dispo-nere decrevi.

*Primò* igitur. Cùm de manu Dei acceperim omnia, & ipsius sint infinitis titulis, hac meâ supremâ volunrate me meáq; omnia illi quantâ possum gratitudine restituo, & eam hæredem instituo, illi ex nunc in æternum cor, corpus, animam, cogitationes omnes, verba, & opera dico & dedico. Credo, spero, diligo, & amplector Deum meum in æternum.

2. Protestor coram Deo, & curia ejus universa, quòd cupiam in fide catholica Apostolica & Romana vivere & mori &, si quo casu intercepta voce eloqui mea desideria non potero, jam peto ad pecca-

torum meorum veniam, Sacramentum Pœnitentiæ, Unctionis extremæ ad luctam, & Communionis Panem Angelorum ad viaticum, quod vehementer opto & sitio, sicut cervus ad fontes aquarum. Quòd si mea recensere peccata nequivero, fateor me dolere ex sincero DEI amore ob ingratitudinem meam, ob teporem in Dei servitio, ob temporis perditi jacturam & alia peccata mea, & absolutionem Sacramentalem peto. Si tentatio spei me invadet, spero in Deum, & nolo desperare, donec videam & comprehendam illum. Si tentationem fidei suggeret hostis diabolus, ecce testes cœlum & terram & Te, SSS. Trinitas, hanc alienam esse à me, paratus fidem signare sanguine ac morte cum SS Martyribus. Abrenuncio Satanæ, & pompis ejus: Deo verò soli adhærere volo in æternum.

3. Ago gratias, ô Deus meus, quòd me pulicem & canem mortuum præ tot aliis derelictis primò ad Catholicam Ecclesiam, deinde etiam ad ipsam Filii tui Societatem elegeris. Laudate, obsecro, pro me Dominum vos Angelici Spiritus, & Patroni mei. Tu etiam dulcissima Mater hujus beneficii præcipua promotrix, age, quæso, pro me ingrato servulo Patri misericordiarum & Filio tuo gratias in æternum.

4. Offero tibi Deus, quidquid reliquum est vitæ, forte unius horulæ. Tibi enim posthac vivere, tibi mori volo. Tibi mea poma nova & vetera soli reservo, in tui honorem singula opera facere decerno, ac si ultima essent, & quidem in unione amoris tui ô

JESU,

JESU, MARIA. Mundo, carni, ſatanæ ne quidem horulam impenſurus.

5. Vos Benefactores & amatores mei, maximè verò Tu ô mei amantiſsima Societas, à qua velut à matre tot annis tractatus fui: certa ſis, quòd ubi venero in terram viventium & ſocietatem triumphantium, utì ſpero, rogabo Dominum & nunc rogo, ut vobis reponat in millia. Rogo etiam ut adhuc ſacrificiis, precibus, indulgentiis juvetis animam meam, nequa remora in limine æternitatis feliciſsimæ fiat, ſitienti ad fontem aquarum viventium.

6. Siqui verò, quod abſit, adverſarii eſtis mei, qui me aliquando offendiſtis, condono vobis coram Deo, qui ſcrutatur renes meos, de corde puro, propter amorem Dei mei: pacem vobis cum Domino JESU relinquo: quia tendo ad Principem pacis. Vos item, quos quacunq; ratione ego offendi, donate mihi obſecro, ſicut Chriſtus donavit nobis. Lego vobis & opto ex animo à Domino Deo, quidquid poſsum, quod ad ſalutem veſtram eſse poſsit; nec ceſsabo orare, donec vos in portu ſalutis æternæ complectar, & pariter cantemus Domino canticum novum in terra Beatorum.

7. De filiis meis ſpiritualibus & diſcipulis, quorum curam habui, ſic diſpono. Rogo Deum, ut ex illis ne quiſquam perdatur. Obſecro per viſcera miſericordiæ Dei, ut maneant conſtantes, ne ſeparemur æterno chao & cœlo; & qui fide, ſpe, & charitate fuimus conjunctiſsimi, ne odio dividamur ſempiterno. O mi Deus! protege illos, excita, dirige in

omnibus, ſicut ipſe noviſti ad illorum perſeverantiam optimè expedire: & Tu, ô Virgo, ſis illis pientiſsima Mater. Ignoſce mihi Domine, ſi, quod infirmum fuit, non conſolidavi; quod ægrotum, non ſanavi; quod confractum non alligavi; quod abjectum, non reduxi; quod perierat, non quæſivi. Ignoſce ô Domine, ſi quando linum fumigans extinxi, & calamum conquaſsatum contrivi.

8. Vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, millies coram te, Domine, repeto, &, ſi nunquam emiſiſsem, jam emitterem, eo affectu, quo poſsem, imo majori, eo ſcilicet, quem optare poſsum, & debeo, ut perfectè tibi placeam, & pretioſa ſit in conſpectu Domini mors pauperculi ſervi tui.

9. Obſecro Superiores meos, ut mihi obedientiæ defectus, judicii proprii exceſsus ignoſcere dignentur. Obſecro Fratres & Patres, ut meos impatientiæ inordinatos motus, & cetera prava exempla obliviſcantur.

10. Ceterùm, cùm ego gratiâ Dei infinitâ reliquerim omnia & ſecutus ſim Chriſtum & præter voluntatem, quam mihi dedit & amorem, quo illum amplecti cupio, nihil ulli offerre poſsim; rogo iterum omnes & ſingulos Patres & Fratres, maximè verò illos, quorum aliquando indignus Magiſter fui, ut pro me aliquas preces, ſacrificia, & indulgentias applicari curent ſuo nullo onere, magno meo & ſuo ſolatio, ne me corpore exutum diutiùs morari contingat, donec Deo meo ſatisfaciam ad ultimum quadrantem.

11. Quæſo

11. Quæſo vos, quibus ſepulchri mei cura incumbet, ut in noviſsimo loco cum Domino JESU, qui pro me in cruce ſuſpenſus fuit, recumbere mihi liceat, & expectare beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.

12. Teſtes hujus voluntatis meæ ſit in cœlo Deus, teſtis Mater Dei, Patroni mei & Angelus Cuſtos, S. P. Ignatius cum omnibus Sanctis Soсiis ſuis, S. Barbara, S. Cæcilia, & ceteræ SS. Virgines, quibus, ut coronâ, omni die, ſed maximè in extremâ hora cingi opto & propugnari. Adeſte quæſo, omnes humillimè invoco, quotquot aliqnando vel à me electi fuiſtis, vel mihi in Patronos ſorte obtigiſtis. hæc eſt ſuprema voluntas mea, & per Dei gratiam æterna. Hanc in hora mortis ratam eſse volo, & verò DEI (quod humillimè imploro) auxilio futuram ſpero. Ego Georgius Sigiſmundi, ut ſuprà, inſtituo, lego, teſtor omni meliori modo, manu propriâ conſigno, &, ſi Deo placet, morte; ut æternùm illi vivam. Anno 1627. menſe Novemb. die 28. horâ 2. dum verſarer in Recollectione annua.

Hoc Teſtamentum cùm mortuus fuero, meis imponi manibus deſidero, & ut fiat, R. P. Rectorem, vel quemcunq; Superiorem, aut P. Spiritualem humiliter rogo.

Venio nunc ad alteram mei propoſiti partem, & duorum è Statu Politico præſtantium Virorum Teſtamenta allego: alterum Sereniſsimi Archiducis Auſtriæ Leopoldi, alterum Illuſtriſsimi & Excellentiſsimi Domini Bernardi Ignatii Comitis à Martiniz,

Supre-

Supremi in Regno Bohemiæ Burggravii An. 1685. 6. Januarii in Domino mortui. Prior ita decernit.

## Pactum cum Testamento Serenifs. Archiducis LEOPOLDI.

NE sit otiosa, quam Deus mihi concessit, facultas cum suæ gratiæ opitulatione, ob excelsum ei placendi finem, illum amandi, majorem ejus gloriam & honorem in omnibus quærendi, eum magis magisq; adorandi, colendi, eiq; serviendi; eo nomine, quia Est qui Est, Eritq; semper; gratum animum eidem exhibendi: ob tot beneficia eximia mihi præstita, specialiter quò verbum suum Æternum & in eo infinitum bonorum omnium pretium mihi contulerit, próq; omnibus, quæ sanctissimæ Humanitati Verbi, Beatissimæ suæ Matri, omnibus Angelis & Beatis in cœlo, omnibus creaturis in terris concessit, impetrandi deniq; à divina sua bonitate tum creaturis omnibus, tum misero mihi tam in vita, quàm in, & post mortem auxiliorum gratiarúmque abundantiam; *Sancio cum divina Majestate Pactum perpetuum* de minimo quocunq; motu interno & externo animæ, & cordis, corporisq; mei, de omni aspiratione & respiratione mea æquè dormientis ac vigilantis, usque ad ultimum vitæ halitum (ut infrà apertiùs explicabo) déq; omnibus & singulis omnium quæ sunt, & erunt, creaturarum motibus, influentiis & affectibus cœlorum, animalium, quæ sunt, erunt, & fuerunt: rerum creatarum, creandarum; motibus naturalibus, artificialibus, & violentis, quotquot

sunt

ſunt & fuerunt de guttis aquæ in labentibus de cœlo pluviis, in fontibus, fluminibus, Oceano: de frondibus, floribus, foliis & fructibus arborum ac plantarum, quos unquam terra germinavit aut germinabit: de arenulis, quæ ſunt ſive in terra, ſive in aquis: de atomis, qui ſunt & erunt in aëre: de momentis temporis præteriti, præſentis, & per totam æternitatem futuri; & in præſenti de motibus tympanorum: de verbis & actionibus per omnia bella publica & privata, & regnorum ac Principum diſcordias exhibitis & exhibendis. Quod fœdus hoc decreto initum volo, ut cum divina gratia in totam æternitatem extendatur. Quod præcipuè intelligi volo de ſingulis actibus adorationis, amoris, laudis, gratiarum actionis, doloris, & alterius cujuscunq; virtutis hoc fœdere exprimendis: quos unquam exercuerunt vel exercebunt Angeli, Beati, SS. Dei Mater, Chriſti Humanitas ac Deus ipſe, præſertim erga ſeipſum. in his omnibus & ſingulis (quæ appello *ſigna* mea) intendo cum gratia divina, & in virtute hujus *Proteſtationis* per omnem æternitatem actu, quantum ab homine fieri poteſt, exercere, renovare, & exhibere divinæ Majeſtati ſupra dictos perfectiſsimos actus unitim omnes; omnia fœdera, ſigna, pacta, obligationes ſpirituales, inventiones amoris, directiones ſpiritûs, præparationes ad Venerabilem Euchariſtiam, & poſt eam gratiarum actiones & oblationes, muſicas, cantica, laudes ſpirituales, Pſalmos, hymnos & benedictiones; actus, opera, obſequia & cruciatus Deo gratos; & quidquid huic *Pacto* conforme eſt unquam inven-

inventum, ſcriptum atq; typis mandatum: ſingulariter quotquot in DEUM directi ſunt actus cognitionis, æſtimationis, cultûs & reverentiæ, adorationis, amoris, gratiarum actionis, laudis, & benedictionis.

His adjicio actus & proteſtationes fidei, ſpei, amoris, contritionis, oblationis, reſignationis, gratiarum actionis, petitionis, qui unquam ſunt inventi, excogitati, dicti, ſcripti, eliciti, typis mandati ab omnibus totius mundi creaturis, juſtis, Angelis, & Beatis, SS. Dei Matre, & ipſo JESU Chriſto DEO meo, cum omnibus affectibus & effectibus amoris, quos expreſsit in ſua Sanctiſsima Humanitate per opera heroica, quósq; exprimere non potuit, eò quòd par non eſset infinito voluntatis affectui robur corporis & facultas.

Adjicio deinde, quidquid fecit & faciet Deus, quà Deus eſt, me ſecundùm menſuram gratiæ ab ipſo mihi datæ (quam unicè deſidero & imploro) facturum, ſed etiam, quoad potero actualiter renovabo & exhibebo cum omnibus ſublimiſsimis motivis & perfectiſsimis finibus, qui ſuæ divinæ Majeſtati plus complacentiæ & gloriæ adferre poſsunt; iis dico, quos Deus ipſe invenire poteſt; & dirigo ad honorem & gloriam ſuam majorem, ad venerationem Auguſtiſsimæ ejus Matris, Dominæ meæ, omnium Angelorum & Beatorum; ad liberationem animarum de pœnis Purgatorii, ad ſalutem omnium creatorum & creandorum hominum & miſerrimæ animæ meæ; ad converſionem Turcarum, Maurorum, Hæreticorum, Infidelium & peccatorum qui ſunt & fuerunt;

erunt; & ſi liceret efficere, ad inferni cruciatus damnatorum, eorúmq; blaſphemias & deſperationes avertendas: pro meis aliorúmq; peccatis, paſsionibus, pœnis, tentationibus & diſtractionibus; pro quibus omnibus & ſingulis cùm obviare aliter non poſsim, intendo vi præſentis Proteſtationis plus millies & millies divinæ ſuæ Majeſtati virtualiter, multò verò maximè actualiter offerre, renovare, ac exhibere in tempore & æternitate, omnes ſuprà dictos actus; cum Deſiderio intimo, ut malè commiſsa commutentur in vivos & ſerios affectus infiniti amoris, obſequii, & laudis divinæ; cum humillima petitione veniæ, illuminationis, ac veræ emendationis, præſertim mei plus ceteris ærumnoſi; cum affectu dictis oblationibus & renovationibus plus delectandi divinam Majeſtatem, quam unquam ullo peccato offendatur; quem cùm exprimere non poſsim, utor ſignis meis, cùm efficere non valeam, ut facta ſint infecta, quod equidem ardentiſsimè deſiderarem, vitámque ipſam & ſangvinem ad extinguendum quodlibet peccatum profunderem.

Atq; hoc *Fœdus* cum Deo meo erectum, vi hujus Proteſtationis ac Decreti, extendo non ſolùm ad vitam, ſed etiam ad mortem, & ſecuturam æternitatem, obſervandum in quolibet prædictorum ſignorum in perpetuum. Deſidero enim, cùm putre hoc corpus in terram diffluet, & anima piacularibus flammis cruciabitur, gratiam te non offendendi Deum meũ, ſed magis ac magis ſemper amandi & laudandi in virtute tuæ ſingularis gratiæ, ac hujus *Fœderis, etſi*

acerbiſsimis cruciatibus, ac etiam æternis citra vel leviſsimam offenſam Tui, me torquere placuerit. Ecce me promptiſsimum obſequi, dummodo infinita tua Bonitas per haſce meas oblationes, ſigna, & renovationes diligatur magis ac laudetur, ampliórq; tua gloria ac animarum Salus reſultet.

Quoniam verò ubi *Teſtamentum* eſt, mors neceſse eſt intercedat Teſtatoris: Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt; Volo, ut hoc meum Deſiderium, & voluntatis decretum, gratiâ tuâ, Deus, excitante conceptum, & hâc Proteſtatione expreſsum, non ſolùm in vita, & mortis hora vigorem habeat, ſed etiam poſt mortem meam, & tunc vel maximè plenæ executioni mandetur.

Deniq; ſuprà dictos omnes actus repono in cor & manus Domini mei JESU Chriſti, & SSmæ. ejus Matris, in quibus ad majorem perfectionem & ſublimitatem, ad majus beneplacitum & eorum gloriam, quam unicam quæro evehantur: cum qua perfectione ac ſublimitate volo eos divinæ ſuæ Majeſtati à me toties quoties & ſemper renovari, non tantùm meo unius nomine, ſed omnium etiam futurarum creaturarum loco, quæ id unquam ſunt præſtituræ, ita ut quælibet harum renovationum vim habeat omnium ſimul conjunctarum. Nam quidquid gratiæ & honori Dei mei præſtiturus ſum, volo id magis ac magis, & in infinitum creſcere in ſingulis actibus & punctis temporis; magis verò *in articulo mortis*; ac multò maximè ſi quâ vi morbi, aut quavis aliâ cauſâ mens mihi eriperetur, ut, quod efflictim deſidero præſtare

non

non posſim, nunc pro tunc & ſemper proteſtor ſanctisſimè. Amen.

Potúitne hoc Pietatis exercitio vel ad demonſtrandum erga Deum amorem, ſublimius, vel ad exprimendam religionis puritatem defœcatius, vel ad faciendum omnis virtutis compendium etiam ab exercitatiſsmio Aſceta excogitari aliquid opportunius? Tamen tanta pietatis lux mentem piiſsimi Principis curis bellicis, graviſsimísq; negotiis obductam irradiaverat. Quàm eleganter ac verè Gregorius, conſiderans illud: *Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*; (*Cant.3.2.*) docuit non tantùm per vicos Religioſorum arctè habitantium, ſed etiam per plateas ſecularium latè incedentium, Dilectum quæri oportere. *Quia*, inquit, *ſunt nonnulli etiam vitæ ſecularis, qui imitandum aliquid habent de actione virtutis.* (*Hom.25. in Evang.*) A qua laude quàm non longè abfuerit Illuſtriſsimus Comes Bernardus à Martiniz conditum ab eo *Teſtamentum animæ* loquatur. Sic habet:

## In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

PRimò; pro fundamento ſalutis meæ; Proteſtor & confiteor in præſentia Dei Omnipotentis Patris, Filii, & Spiritûs S. trium Perſonarum, & unius ſolius DEI; Beatiſsimæ Virginis, & totius cæleſtis Curiæ; omniumq; Veſtrûm, qui hanc Proteſtationem ſeu legetis, ſeu audietis aliquando; quod vivere velim, & mori obediens filius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ;

firmiter credendo omnes duodecim fidei articulos, quos sancti Apostoli docuerunt; cum iuterpretatione & declaratione à sancta Sede Apostolica desuper facta; & quidquid hæc sancta Sedes in Ecclesia Catholica à Spiritu S. gubernata docuit, definivit, & declaravit.

*Protestor* me credere totum illud, quod bonum Catholicum Romanum Christianum credere oportet; in qua sancta Fide volo & gaudeo mori: ità, ut quidquid contra illam (quod absit) dubitarem, sentirem, dicerem, vel facerem, per Diaboli suggestionem, aut alio quocunq; modo tentatus; idipsum nunc pro tunc Protestationis hujus vigore revocem, annullem, annihilem, neq; dictum unquam aut factum velim, imò execrer & anathematizem. E contrario quidquid bono Religionis præstare seu teneor vi officii, seu possum virtute DEI; pro ejus conservatione & propagatione cum Dei gratia præstare velim, & nil magis (quantum in me erit) optare, quàm hoc totius sanguinis mei, & vitæ impendio exequi & contestari.

Deinde per hanc enixam voluntatem meam *Protestor*, quòd in morte mea velim & desiderem Sacramentum pœnitentiæ, vel Confessionis, quam (casu quo habere vel facere non possem) nunc pro tunc vigore præsentis ex corde facere percupio, & vi hujus Protestationis absolutionem mihi dari efflagito, si ore confiteri per apoplexiam, aut aliter impedirer; agnoscens culpam meam maximam, omnium peccatorum meorum tam cogitatione, quàm verbis, opere,

atq;

atq, omiſsione tum contra Deum, tum contra proximum meum commiſsorum; de quibus omnibus doleo, & Spatium deſidero pœnitentiæ, ut illa poſsim amariſsimè plangere, confiteri,& debitam facere ſatisfactionem; non tam inferni, vel alterius cujuscunq; pœnæ timore, quàm quòd ſummum Bonum offenderim, quod ſuper omnia amare, & cui ſervire debebam. Id nunc firmiter propono me facturum, cum ejus gratia, nunquam illum toto vitæ meæ tempore ampliùs offendendo, ex puro ejus, & ſinceriſsimo amore, etſi ſcirem me Præſcitum.

*Proteſtor* etiam, quòd ſub finem vitæ meæ deſiderem ſanctiſsimum Viaticum ſumere, ut me perfectè unire, & reconciliare poſsim Domino Deo meo, mediante hoc divino Sacramento; quod ipſum (caſu quo tunc recipere non poſsem) me nunc pro futuro illo tempore recipere declaro, ſaltem corde ſpiritualiter; illud adorando, & mihi uniendo, atq; ſupplicando, ut mecum eſse dignetur in tam periculoſo itinere, ab inſidiis latronum infernalium me defendendo, & in ſecurum æternitatis beatæ portum deducendo; ut cùm non merear vivere propter me, vivam propter illum, quem qui piè manducat, vivet in æternum, & reſuſcitabitur ab Eo in noviſsimo die, habens pignus futuræ gloriæ.

*Proteſtor* quoq;, quòd cupiam ex hac vita decedere armatus finali extremæ Unctionis Sacramento, quod (caſu quo tunc obtinere non poſsem) nunc etiam pro tunc poſco, & deſidero, Divinam rogans Majeſtatem, ut dignetur mihi omnes ſenſus meos in-

ternos & externos ungere oleo infinitæ ſuæ miſericordiæ; ignoſcendo mihi peccata mea, quæ vel oculis, aut linguâ, guſtu, odoratu, auditu, & tactu, aut alio quocunq; modo commiſi.

*Proteſtor* etiam præſentibus, quod per nullam unquam tentationem deſperare velim de divina pietate, propter multitudinem peccatorum meorum; quibus etiamſi fatear infernum me promeruiſse multoties: nequaquam tamen infinitæ illius diffido miſericordiæ, habens ſuper hoc Syngrapham proprio ipſius firmatam Verbo, in Sacroſancto Evangelio, ubi fatetur, quòd non venerit vocare juſtos, ſed peccatores. Igitur tametſi me occiderit, in hoc ego ſperabo, gnarus, quòd multa flagella ſint peccatoris; ſperantem autem in Domino (ſed non præſumentem) miſericordia circumdabit; nemo enim ſperavit in Domino, & confuſus eſt.

*Profiteor* etiam, quòd neſciam me unquam opus aliquod bonum vitæ æternæ certò meritorium feciſse, cùm neſciam, an fecerim id in gratia, an rectâ intentione, an non vanâ gloriâ opus etiam ex ſe bonum depravaverim; & ſi quod feciſsem, confiteor, non id eâ me, quâ decuit, Diligentiâ feciſse; maledictus autem homo, qui opus Dei facit negligenter; neque me ſine divina gratia facere quidquam potuiſse. Erubeſcat tamen & confundatur Dæmon; neq; enim præſumo mereri ſolùm rebus ejuſmodi Paradiſum, ſed per merita maximè, & ſparſum in Cruce pro me miſero peccatore ſanguinem Redemptoris. Mihi enim abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri

ſtri JESU Chriſti, in quo eſt ſalus & reſurrectio. In hoc ſigno vincam & vivam:

✠

*Proteſtor* quoq;, me cum gratia Dei patienter ferre velle omnem infirmitatem, tentationes, deſolationem, ariditatem, & derelictionem, atq; dolorem mortis; uniendo hanc derelictionem & dolorem angoremq; mortis cum derelictione, doloribus, & angoribus Chriſti Domini mei, nunc pro tunc; in qua derelictione ſi contingeret (quod DEUS nolit) ut vel morbi, vel extremi angoris vehementiâ, vel diabolicâ tentatione in aliquam laberer impatientiam, vel blaſphemiæ & murmurationis contra Deum veſaniam aut aliquod aliud mali exempli ſignum ederem; illius, nunc pro tunc me vehementer pœnitet, & reprobo quidquid mali vel dicere, vel facere poſſem; Divinam implorans clementiam, ne me in tam doloroſo & periculoſo conflictu deſerat omnino; niſi ex hac ipſa derelictione pro gloria ſua facere proventum vellet.

*Condono etiam* vigore præſentium, omnes injurias & offenſiones à quocunque mihi unquam illatas in fama, vita, facultatibus, aut alio quocumq; modo; Deum rogans, ut illis ignoſcat & opituletur omnibus, bonúmq; illis retribuat pro malo, quod mihi voluerunt, aut fecerunt: quemadmodum deſidero, ut mihi fiat ab illis, ſi quibus unquam offenſionis anſam præbui, aut revera illis nocui, ſive activo, ſive paſsivo ſcandalo fui, quòd meis fortè non ſatisfecerim obligationibus, ſed vixerim peſsimè.

*Protestor* etiam me infinitas reddere gratias divinæ suæ Majestati pro omnibus in me collatis beneficiis, tam occultis, quàm manifestis, prô! quàm ingentibus atq; innumeris, & quàm immerenti, imò ingratissimo mihi præstitis, quibus ô quantùm abusus fui? & singulariter pro beneficio creationis, redemptionis, & vocationis ad illius sanctam agnitionem; alimentationis spiritualis, atq; etiam corporalis, & vi illius datâ arrhâ æternæ Electionis, cùm pastus fuerim Frumento Electorum; super omnia verò, quòd me tam longo tempore ad pœnitentiam expectaverit, cùm mihi vitam tollere meritò potuerit, quando id minimè cogitabam, dúmq; in peccatorum sordibus hærerem. Misericordia Domini, quòd non fuerim consumptus!

Benedicta sit igitur infinita ipsius Charitas, longanimitas & patientia, quòd Spatium dederit pœnitentiæ! ô det etiam mihi gratiam efficacem, ad faciendos dignos fructus pœnitentiæ, maximè finalis. hoc rogo Patrem æternum in nomine ejus Filii, nempe ut in me impleatur Voluntas paterna DEI, Sanctificatio mea finalis, orando humillimè: Cor mundum crea in me DEUS, id est, da gratiam sanctificantem. O Pater æternæ, nihil munditiei est in corde meo, sed tu creare potes, scis, & vis: sic enim dilexisti mundum, ut Filium tuum Unigenitum dares; non fuit Mundus hic mundus, sed ut ex immundo mundum faceres. Et Spititum rectum innova in visceribus meis, rectificando intimas intentiones detortas, & incurvatas ab amore & egoitate propria.

Nè

Nè projicias me à facie tua ô Fili Redemptor mundi, Deus, qui respiciendo Petrum ab infidelitate sanâsti: & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me & gratiam sanctificantem; sed Spiritum Sanctum mitte, & creabuntur annihilatæ virtutes: redactus enim sum in nihilum, & nescivi. Imò redde mihi lætitiam salutaris tui, ô Spiritus Sancte DEUS, DEUS Amor, DEUS totius consolationis, & Spiritu principali confirma me, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, tribue mihi gratiam confirmantem, quæ est idem cum dono perseverantiæ seu gratiæ Finalis, quam uti de condigno mereri nequeo, ità de congruo possum humili oratione impetrare, & à Christo Domino de condigno mihi pretio sanguinis ejus ita emptam confido, ut eam hausturus sim de Fontibus Salvatoris, è quibus una stillula Theandrici sanguinis totum mundum salvum facere quit ab omni scelere.

Volo etiam, imò summè desidero, & humillimè supplico, ut hujus meæ ultimæ voluntatis Protectrix sit gloriosa Virgo MARIA, Refugium & Advocata Peccatorum, Salus Infirmorum, & Solatrix Afflictorum, quam specialiter supra omnes Sanctos & Sanctas, Patronos & Patronas meas cultu Hyperduliæ colo & veneror. Invoco autem singulariter S Josephum, S. Joachimum, & S. Annam; utrumq; S. Joannem Baptistam nimirum & Evangelistam; Omnes Sanctos B B. Spirituum ordines, præsertim S. Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, & S. Angelum meum Custodem; S S. Patriarchas, Prophetas, Apostolos, maximè S. Petrum, Paulum, Andream, Jacobum & Philippum,

 Mathiam

Mathiam & Thaddæum; Omnes S S. Martyres, Confessores, Virgines; Omnes S S. Patriarchas omnium sacrorum Ordinum, Patronos Bohemiæ, Austriæ, Moraviæ, Silesiæ & Germaniæ; Omnes S S. occultos, SS. 4. Franciscos, Antonios & Benedictos ac Bernardos; omnes S S. Conversos Peccatores, S. Mariam Magdalenam, S. Zachæum, S. Matthæum, ipsum S. Latronem conversum in cruce: & inter Sanctas S. Ursulam, Barbaram, Catharinam, Dorotheam, Gertrudem, Omnes S S. quorum Fastos annuè mihi legi curavi. Deniq; totam Curiam cœlestem, & Electos omnes in militante Ecclesia per Communionem Sanctorum imploro, ut in hora mortis meæ mihi adsint, seu me prece juvent ac consolentur; & Unigenitum suum Filium pro me singulariter roget immaculatè Concepta Virgo MARIA, cum hac tota Sanctorum Universitate, ut Spiritum meum in pace recipiat DEUS, & Indulgentiis plenariis munitum me faciat decedere; sibíq; sine mora in Amore conjungi, ut ex puro amore DEI moriar, oriárq; illico felici Æternitati, ad quam eà solùm intentione aspiro, ut videre, amare, laudare, adorare, & glorificare valeam sacrosanctam, & Individuam, sempérq; Tranquillam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: hic enim ad quem creatus sum, ultimus meus finis est: Major nempe Dei Gloria, in Ejus Potentiæ, Increatæ Sapientiæ, & Bonitatis æterna laude, & glorificatione; quoniam gloriam suam alteri non dabit DEUS, nisi ei, qui in ipsum Authorem illam totam est refusurus; non verò ipsi, qni illam sibi esset arrogaturus.

Volo

*Volo* similiter & hisce constituo ac rogo Angelum meum Custodem, Defensorem & Procuratorem Animæ meæ in tremendo illo judicio, quando accurata fiet Discussio, & postrema feretur vel vitæ, vel mortis æternæ sententia, humiliter flagitans, ut quemadmodum misella hæc anima mea illius tutelæ & custodiæ à Creatore commissa est; illam defendat, protegat, & in illius Manus deducat, defectúsq; excuset, ut ea sententiam evadat damnationis.

Rogo etiam per sacratissima JESU Christi viscera eos, quibus id commisi, ut (quamvis ignorem, quæ me sors maneat) cùm propter peccata mea, si non æternam in inferno Damnationem, longissimam saltem in purgatorio moram justè promeritus sim; ipsi me operibus suffragatoriis juvare velint. Misereminì mei, misereminì mei, saltèm vos Amici mei! quod hodie feceritis mihi, cras fiet vobis: Sanctissimo præsertim Missæ Sacrificio, tanquam Medio magis efficaci ad liberandas animas ex iis pœnis, ex quibus si unquam contigerit vestris operibus bonis suffragantibus me liberari, pro tanto beneficio me non ingratum fore polliceor: etsi firmissimè confidam me auditurum à JESU meo Crucifixo illud: Hodie mecum eris in Paradiso; quia nunc pro tunc dico cum bono Latrone: Nos digna factis nostris recipimus, hic autem nil mali gessit Christus JESUS; qui omnia bene fecit. Addo: Memento mei Domine, cùm jam veneris in Regnum tuum. Ingentem fiduciam habeo sine hæsitatione ulla in potestate Clavium, adeóq; Indulgentiis plenariis; quarum ut fiam particeps, jam nunc pro tunc dico

corde,

corde, quàm poſsum contrito; JESUS, MARIA! addo JOSEPH, Joachim & Anna dulciſsimi Amores JESU, Amoris mei infiniti: in manus veſtras commendo Spiritum meum; ſic in pace dormiam & requieſcam, in te JESU ſalus mea, quoniam ſingulariter in Spe conſtituiſti me; nam qui invocaverit nomen JESU ſalvabitur.

*Volo etiam*, & deſidero, ut anima mea, quamprimum è terreno hoc carcere educta fuerit, in amoroſum dextri Pedis JESU Chriſti vulnus ſepeliatur, in illa vivifica ſepultura jaceat, & perpetuò beata vivat in requie æterna; crudeliſsimum illum Clavum millies benedicens, qui acuti Scalpelli inſtar tam dulce fecit mihi in amato Salvatoris vulnere monumentum; maneo cum Magdalena apud Pedes, non audeo ſcandere altiùs, gnarus ſummæ indignitatis meæ: immergo me in Vulnus ſanctiſsimi Pedis dextri, tum quia felix Latro ab ea parte fuit exauditus, & illic etiam, ut piè credo, ſtabat Mater doloroſa: tum quia Electi ſtabunt à dextris: ideò volo me abſcondere in dextro Pede tuo ô JESU, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus Hodiè, Hodie in quo recorderis mei, qui Hodie audiens vocem tuam, nolo obdurare cor meum.

Deniq; *Proteſtor* me libenter & amanter acceptare mortem, qualicunq; illa modo mihi obtigerit, velle meum cum divina voluntate planè conformans; ſuſcipiens illam cum patientia in ſatisfactionem peccatorum meorum, & gratiarum actionem pro vita à Divina Majeſtate mihi conceſsa; quam ſi mihi magis

pro

pro gloria ſua producere voluerit, ſit millies & iterum millies benedictus DEUS! det velle, quod jubet, & jubeat, quod vult; tollat tantum voluntatem ad peccandum pronam, & ponat voluntatem efficacem ad ipſum immutabiliter & inceſsanter amandum in tempore & æternitate, gratis propter ejus infinitam Bonitatem per ſe, citra ullum reſpectum ad me. Si verò noluerit me diutiùs vivere; Ecce animam, corpus, vitam & mortem tam ad pœnam temporalem, quàm æternam, voluntariè, ſine ulla exceptione, ex toto corde reſignatam, in ejus diſpoſitionem ſanctiſsimam projicio, enixè rogans, concedat, ut ſupradictam voluntatem meam nunquam mutem, ſed in ea perſeverem usq; in finem. Sciens, quòd S. Gertrudi inſinuaveris, ô clementiſsime JESU, fideliſsime Sponſe animæ meæ, Te pia deſideria, quæ à ſanis adhuc & vegetis fiunt directa pro articulo mortis ſervare in ſemper florenti cordis tui divini, & Eccleſiæ Sponſæ tuæ Viridario floridiſsimè, ut nequeant areſcere aut marceſcere, ſed fructum valeant afferre (divinâ tuâ gratiâ vegetante) in tempore opportuno: nam neq; qui ſeminat, neq; qui plantat, neq; qui rigat, eſt aliquid: ſed qui incrementum dat Deus Amor meus; cui honor eſt, gloria, & benedictio in ſecula ſeculorum à me à Vobis mihi ſuperſtitibus in Unitate Eccleſiæ, & Chriſti viſceribus mihi dilectiſsimis, pro me hîc, ut petii, oraturis in Eccleſia militante, ut ego pro vobis orare valeam in triumphante. Diligite Dominum. Impleamini Benedictione, ſequamini me, ſed tardè, & valete. Amen.

In cujus Fidem Ego N. hocce feci Protestationis, Confessionis, & Resignationis Instrumentum, in præsentia Sanctorum Patronorum meorum velut Testium ad id rogatorum; & volo, ut hoc ipsum valeat nunc & semper cum vi & vigore Testamenti, Codicilli, & Donationis mortis causâ; Confirmans illud denuo mente & corpore sanus existens, propriæ manûs Subscriptione; gestans deniq; dictam Protestationem pro majori claritate continuò mecum, cum qua etiam volo & desidero post mortem meam sepeliri.

Ego

B. I. I. M.

Habes, Christiane Lector, tot adversùs mortem repentinam antidota, quot Paradigmata Testamentorum à Viris probitate, prudentiâ, dignitate conspicuis conditorum. Aude aliquid consimile, & ita maturè de tuis rebus dispone, ut tametsi te ex insidiis mors aggrediatur, composita apud te omnia, parata, ordinata inveniat. Prævenire satiùs est, quàm præveniri.

CAPUT VIII.

# CAPUT VIII.

## *Rursum alia ad mortem repentinam Præparatio.* De morte meditari.

QUi se adversùs Serpentium ictus præstare tutos cupiunt, dicuntur serpentino adipe manus illinere, easq; innoxias & indemnes ab omni periculo veneni conservare. Simile mihi quidpiam facere videntur ii, qui non contenti obiter & cursim mortis meminisse, in ejus meditatione prolixiùs hærent. Cujus ictum ne saluti suæ mortiferum noxiúmq; sentiant, si præsertim illa ex improviso iciat, mortem ipsam Meditationis acie veluti exenterant, omnes illius circumstantias, causas, effectus, sequelas, occasiones acutè dispiciunt, itáq; contra ipsam mortem sibi medicinam parant, & unde periculum metuere poterant, ibi antidotum quærunt. Quòd si ex veneno à viperis desumpto confici theriaca potest, quæ contra venenatorum animalium morsus efficax est antidotum; quidni ex ipsa mortis meditatione existere posit adversùs ipsam mortem præsens alexipharmacum? Certè Lactantius (*Lib. de ira DEI.*) docet cineres combustæ viperæ præstans esse contra morsiones illius remedium. Quid verò mors, nisi virulenta vipera, quæ una mortales omnes sine ullo discrimine necat? at illius morsum vix ullo meliore remedio elidas, quàm si eam meditationis igne in cineres mortuales

mortuales redigas, iisq; prætcrea ſæpe caput aſpectgas, id eſt, cogitationem de ea longiuſculam ſeriámq; aſsumas. Id quod nobis Symbolicè videtur innuere ipſa Mater Eccleſia, dum cineres capitibus noſtris inſpergendo monet: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris*. Huc item facit, quod S. Ambroſius de baſiliſco memorat, eâ videlicet eum eſſe indole, ut ſi hominem intueatur, enecet, ſin autem ab eo prior viſus fuerit, moriatur. Eadem eſt pœnè circa mortem venenatam ratio. Nam ſi illam, antequam adveniat, fixâ mente aſpicias, & accuratè perpendas, occidis eandem, néve tibi ſempiternum exitium afferat, procuras: at ſi illa priusquam illam videris & conſiderâris, ad te venerit, te aſpexerit, te imparatum invenerit, miſerum te profectò! æternam tibi necem inferet iſte Baſiliſcus. Sunt alia plurima Mortis Meditationem nobis ſuadentia; ſed quia pleraq;, quæ Parte I. de mortis memoria ſcripſimus, (*cap. 9. 10. 11. 12.*) huc ſpectant, *Thema* hîc ſolummodo *Meditationis de morte* proponere placuit. Et quia omnis vel felicitas mortis vel infelicitas ab *Judicio particulari*, ut vocamus, pendet, de hoc quoq; congruum Meditationis Argumentum hîc ſubjiciemus. Excole, per DEUM, his animum exercitiis, ſi piget in dies, in ſingulas certè Septimanas, Lector, & mortem mihi crede, etiam repentinam, hilaris excipies. Neq; fallit Seneca, dum ait: *Mortem venientem nemo hilaris excipit, niſi qui ſe ad illam diu compoſuerit.*

MEDI-

# MEDITATIO.

## De Præparatione ad Mortem.
### (Ex Anton. Gaudier.)

PRæludium I. erit, Audire Christum sæpe nos commonentem de hora hac. (*Luc.12.*) *Estote parati: quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* (*Matth. 24. 42.*)

*Prælud. II.* Petere à Domino Deo, ut rem tanti momenti, quanta est bona ad mortem Præparatio, cùm sit singulare ejus Donum, pro sua pietate infinita impertiri dignetur, ne mors nos aut imparatos occupet, aut malè paratos.

*Punctum I.* Considera, quòd, cum Præparatio ad mortem, & consequens judicium sit actus excellentissimus prudentiæ Christianæ & supernaturalis, ad eam requiratur præter Dei auxilium hominis conatus, quo intimâ Dei gratiæ luce perfusus apprehendat horam istam mortis, prout sibi contingere potest: tunc enim ad eum finem rectè constituit media: Quare prima Præparatio est, ut intimè concipiat animo, quid sibi velit, *Mori.* Mori duo continet, ut exprimit Job: *Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus atq; consumptus, ubi quæso est?* (*14. 10.*) Primum est *Privatio vitæ* hujus, id est inferioris mundi & omnium locorum, urbium, regionum, domorum; item omnium hominum, actionum hujus vitæ, quibus vel peccare, vel mereri possumus ac Deo servire, ùt ministeriorum

licèt utilium Ecclesiæ Dei in medio cursu &c. Deniq; à corpore separatio, ejusq; consumptio. Secundum est *Transitus ad alteram vitam*, eámq; æternam, felicem vel infelicem, sed quàm incertam! Conabor eam mei mutationem procerto futuram apprehendere, & petam àDeo, ut in eum finem suâ me continuò luce perfundat. Nam ex eo principio facilè multas conclusiones practicas eliciam, quibus me totâ vitâ ad mortem præparabo.

*Punctum II.* Exposito principio deducere: conari me omni studio debere, ut anima mea in eo puritatis gradu continuò perseveret, ut in momento, quo migrabit, nulla sit labes, ob quam á beata vita excludatur in æternum: in eo enim summa rerum est. *Ecce venio* sicut fur. beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videam turpitudinem *ejus*. (*Apoc.16.15.*) Quare scrutabor conscientiam meam, & si quid sit, non tantùm meas rationes ita componam, ut securus sim; sed statuam ita vivere, ut quantum licuerit, semper me extra periculum & dubium ponam. Possum enim subitò mori, vel de sensu mentis dejici, vel usu sensuum privari, aut vi morbi impediri, aut justo Dei judicio ob meam ingratitudinem eo gratiæ auxilio, quod in hora mortis ad res meas in tuto collocandas esset necessarium, destitui, si eò usque differam. Quare me omni ope à peccato conservabo immunem. quòd si quam labem contraham, eam statim eluam, ac sincero examine, dolore, & lachrimis, nullâ re mihi parcens, & suo etiam tempore confessione accuratâ, perinde ac si ea ultima esset

abolere

abolere conabor; rogabóq; Deum, ut mihi det gratiam, ut actiones meas quotidianas & sermones dispo-nam in judicio, nullámq; abire sinam, quam non defleam.

*Punctum III.* Cogitabo, non tantùm eluendas esse culpas peccatorum, ut in tuto me collocem, sed statim mihi esse faciendos fructus dignos pœnitentiæ ad satisfaciendum pœnis tot & tantorum meorum peccatorum. Nam, quàm parum pro illis satisfeci? quantum mihi solvendum restat, & quàm mihi est facile quotidianis vitæ meæ laboribus, fervoréq; charitatis ignem illum, cui ad multos annos fortè tradendus sum, evitare.

*Punctum IV.* Perpendam, quòd magnam & securitatem & consolationem sim habiturus in ea hora, si, quæ mihi tunc reliquenda sunt, maturè, dum vivo, reliquero. Itaque concludam mihi toti mundo moriendum, & mihi ipsi. Statuámq; omnia bona externa, & oblectationes hominum, item vanos favores, amicitias, honores contemnere; iis etiam me privare, quæ alioqui licita & honesta esse possent: imò optabo multas tribulationes & miserias in hac vita; studebo mortificationi sensuum & corporis, & propriæ imprimis voluntatis & judicii. Nam, *non omnes, qui dicunt mihi Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei.* (*Matth.* 7. 21.) Quàm securus animi esse poterit, qui poterit dicere: quidquid egi, quidquid volui, Domine, tu jussisti. Ergo Deo soli vivere incipiam, cui in æternum sum victurus.

*Punctum V.* Multum consolationis afferet in eo transitu firma *Fides, Spes, Charitas, & Humilitas.* Quare multùm proderit in vita diu multúmq; versari 1. in meditatione mysteriorum *Fidei* cum alta & magnifica illorum æstimatione, pióq; voluntatis affectu. 2. in iis cogitandis, quæ ad *Spem* & fiduciam de DEO concipiendam excitare possunt: qualia sunt Christi Domini Vita, Passio, Merita; B. Virginis patrocinium, SS. Patronorum cultus, &c. 3. in *Amore* & mutua conjunctione & familiaritate cum DEO, & imitatione Christi. 4. in *retundenda nimia fiducia*, quam de nostris bonis operibus solemus concipere, & comprimenda nimia æstimatione nostrî, & occulta præsumptione; id quod assequemur per nostri cognitionem. In his, si ita seriò versatus fuero, in eo transitu mihi opportunè subvenient: contra, difficile mihi erit ea arma eo momento & acquirere, & bene tractare, quibus rarò, vel vix unquam antea bene usus fuero.

*Punctum VI.* Revocabo mihi in memoriam mortem aliquorum Sanctorum v. g. S. Ambrosii, Augustini, Martini, Hilarionis, & aliorum, quos fortè vidi morientes; & ex iis omnibus, quæ ipsi in hac hora gesserunt, formam aliquam ac veluti exemplar bonæ ac piæ mortis in animo fingam. Reflectam item animum in mortem ipsiusmet Christi Salvatoris mei; & statuam meam vitam ex hoc tempore ad modum vivendi ejusdem aptare, Deumq; sæpe rogabo, ad eum modum ut & vivere me velit, & è vita migrare. Idem petam à B. Virgine frequenter, præsertim cùm recitabo

Rosarium

Rosarium ad ea verba : *nunc & in hora mortis nostræ. Amen.*

# MEDITATIO.

## De Judicio Particulari.

P*Ræludium I.* Rem ipsam mihi repræsentabo : quo modo nimirum anima mea, statim ubi vinculis corporis soluta erit, coram Judice Christo Domino comparebit, ultimam ab eo sententiam auditura.

*Prælud. II.* Deum rogabo, ut mihi lumen cœleste & gratiam conferat, ut possim seriò apprehendere, quæ tunc mihi evenient ; & aggredi, quæ me tunc fecisse optavero.

*Punctum I.* erit, In memoriam revocare, quæ de animæ à corpore separatæ statu Fides & SS. Patres docent. *Primò* quidem accipit novum quendam & inusitatum modum cognoscendi sinè corpore, per quem tota ejus vita, & minutim singula & verba & cogitata ei repræsentantur velut in tabella. Penetrat, quid sint res creatæ omnes ; & statum suum præsentem, novámq; rerum suarum faciem agnoscit, & se coram suo Judice, quem præsentem videt, nudam, solitariam, desertam, ab omnibus, cum solis bonis & malis operibus apprehendit. *Secundò.* Hinc oritur longè aliud judicium de suis rebus, & omnibus creatis & externis bonis, quàm cùm esset in corpore. *Tertiò.* Voluntas ejus mutatur. Nam evanescit omnis boni creati amor. & ejus loco solùm remanet pondus illud & inclinatio, quam habet vehementissimam & incitatissi-

mam in Deum, ut finem ſuum; quæ ſublato corporis impedimento tantâ vi illam rapit, ut jam vix retardari & retineri poſsit, quin uniatur ei ſine ingenti violentia, & proinde moleſtia & afflictione graviſsima, quam defactò patitur, quando ob mortalis vitæ imperfectiones ab illa unione impeditur. Ex hoc principio conabor deducere concluſiones practicas, quibus meam voluntatem impellam, ut ſuam cœcitatem defleat; quòd quaſi carneos tantúm oculos habuerit, ea tantùm hactenus cogitârit, quæ ad præſentis vitæ ſtatum pertinent, & tot ſibi per tam crebras imperfectiones quaſi ferrea vincula injiciat, quibus à Dei unione tunc impediatur, & per amorem creaturarum illud pondus in ſummum Bonum retardet.

*Punctum II.* erit, Memoriâ repetere, quæ de ipſo judicio Fides docet. nimirum ſtatim poſt mortem ſiſtendam animam coram Chriſto DEO & Homine, qui nunc quidem amabiliſsimus, & ſui ſanguinis pretio largiſsimè donato benigniſsimus eſt Redemptor, at verò tunc Judex juſtiſsimus exactam rationem depoſcet, ab ipſo primo momento uſûs rationis ad ultimum vitæ inſtans, de minimis cogitationibus, & verbis etiam otioſis, operibus & omiſsionibus; de finis intentione, ad quem creati ſumus, & de mediorum tum ſupernaturalium, tum naturalium, quæ nobis conceſsit, uſu neglecto, vel abuſu. Ex hoc principio vivâ fide apprehenſo, reflexis in ſtatum meum internum oculis, ratiocinabor, quanta mihi eſset ſecuritas, ſi hæc Diſcuſsio jam fieret à Chriſto. Nam quomodo dies, menſes, annos tranſegi? quàm incurius mei finis, ſalutis

nempe & perfectionis consequendæ? quàm negligens in usu mediorum supernaturalium? quam effusus in abusu mei & creaturarum per tot & inutiles & malas cogitationes, verba, & opera, quæ in statera divini judicii reprobabuntur? quàm multa peccata puto me per pœnitentiam & Sacramenta delevisse, quæ fortè manent adhuc, saltém quoad totum pœnæ debitum. Ex quo discursu excitandi Affectus sancti timoris Dei, confusionis, propositi prospiciendi vitæ meæ & præteritæ & futuræ, ut securior ibi posim comparere.

*Punctum III.* erit, In memoriam revocare, quam sententiam prolaturus sit Judex. Si enim tam severa erit discusio, certum est, quòd sententia justissima erit, definitiva, immutabilis, & incredibili quadam efficaciâ ab ipso Judice pronunciata, & intimata animæ; quam proinde certum est ingenti horrore concutiendam, & gravissimis suprà quàm credi potest, angustiis comprimendam. Quod enim majus pondus esse illi potest, quàm audire, &, collustrante divino lumine, clarè intelligere, quam de illa Deus habeat ultimam æstimationem & judicium? præsertim si exigentibus peccatis & negligentiis videat se illi minùs esse gratam & acceptam, & ideò arceri & retardari ab unione strictiori cum illo, in quem, út in centrum suum, tam vehementer fertur. Ex hoc enim principio ratiocinabor, mihi nunc dandam esse operam, tum ut me judicem, & sententiam crebrò contra me feram, præveniámq;, atq; adeò leviorem reddam illam, quæ tnnc pronuncianda est; tum ut per vitæ perfectionem me Deo uniam, ut me severitas illius sen-

tentiæ minùs percellat, quò me minùs ab illo ſeparabit.

*Punctum IV.* erit, in memoriam itidem revocare ità latæ ſententiæ executionem citam, rigoroſam, exactam. Nam miſera anima ſuis inimicis tradita, & ſubjecta eorum poteſtati in infernum trahetur, vel ducetur in Purgatorium; ubi ponderanda *pœnæ damni* gravitas. intolerabile enim erit vel ad unum momentum DEO privari; quantò magis ad multos annos, aut, ſi ità res ferat, in æternum! *Pœnam* autem *sensûs* quis aſsequi ſatis poteſt? Ubi tunc omnia bona mundi, & commoda vitæ, quæ ità mortales conſectantur? Ubi mala & incommoda, quæ jam refugiunt? Ex hoc principio deducam, ùt priùs, concluſiones practicas, quibus voluntatem ſtimulabo ad exequendum contra me rigorem juſtitiæ ob peccata priſtina; ad renuntiandum omnibus vitæ pompis & mundi commodis; ad ſuſtinenda dura & adverſa quæq;, & igne tum charitatis, tum mortificationis purgandam exactè animam meam ab omnibus inordinatis affectionibus, ut nihil in ea purgandum remaneat, nihil quod à Deo me ſeparet vel ad momentum.

*Colloquium* ad Chriſtum de cruce pendentem; magno affectu petendo, ut ſe mihi tunc benignum Judicem exhibeat, & quæ ad hoc neceſsaria ſunt, jàm in hac vita præſtet. Idq; etiam per B. Virginem, & ſancta Patronorum ſuffragia poſtulabo.

*Pater & Ave.*

CAPUT IX.

# Caput IX.

## *Postrema ad mortem repentinam Præparatio, Exercitiis S. P. IGNATII animum excolere.*

PRoximè antecedens Caput huic præsenti occasionem præbuit. Si enim ad mortem & lentam, & violentam piè obeundam multùm confert, unâ quandoq; meditatione de morte vel judicio mentem exercere; quantò magis conferet plures non horas tantùm, sed & Dies considerandis Novissimis omnibus, iisq;, quæ ad instituendam rectè vitam faciunt, inquirendis quietè serióq; vacare? Si scintilla accendere potest, quid aget exaggerati ignis vehementia? Si candela illuminat, quomodo illustrabit fax? Ac mihi quidem hîc animus non est: in laudes Exercitiorum longè excurrere; satis illa commendavit Paulus III. Pont. Max. (Anno 1548.) dum eadem Apostolicâ auctoritate approbando, edidit, *esse pietate ac sanctitate plena, & ad ædificationem & spiritualem profectum Fidelium valdè utilia & salubria*; satis Paulus V. dum Religiosos iisdem per dies decem utentes, (1600.) Alexander verò VII. (1657.) omnes promiscuè personas per octiduum vacantes plenâ peccatorum remissione impertiit; satis ex ipso Archangelorum cœtu Gabriel, dum personæ cuidam magnæ probitatis in Hispania asseruit, per horum Exercitiorum usum singulare Virgini Deiparæ præstari obsequium, ut quæ in iis scribendis S. Ignatio author fuerit & adjutrix; (*Lud. de Ponte*

*in Vit. Balth. Alvarez. c. 43.*) ad ſolam te experientiam provoco, Ingenue Lector, & ſvadeo, ut, ſi probè vivere, ſi ſanctè mori( quanquam ſubitò moriaris ) velis, hanc Pietatis Palæſtram, hoc *humani generis Tirocinium* ( ità Exercitia appellat Ludovicus Strada Vir è S. Bernardi familia eximius *Lyræum Apophth. p. 100.*) vel ſemel quotannis frequentes ; idque tibi hoc ampliùs ſvadeo, quò hæc una ad mortem ſeu maturam, ſeu immaturam Præparatio reliquas omnes hoc libello propoſitas, tanquam nux Iliadem compendio teneat, &, ſi hac unâ te munias, ſis reliquas omnes facilè complexurus. Conſtant Exercitia tribus Partibus, quas Aſcetæ *Vias perfectionis*, *Purgativam nempe, Illuminativam*, & *Unitivam* vocant. *Prima* Finem Homini ad quem ſit à Deo conditus proponit, Peccati gravitatem ex ejusdem effectis & pœnis, itémque Luciferi, Adami, aliorúmq; deplorando lapſu eluceſcentem demonſtrat. *Altera* conſideratione vitæ & mortis Chriſti ad imitandum eundem provocat. *Tertia* ex contemplatione gloriæ Chriſti & Divinarum Perfectionum hominem ad perfectum Dei amorem manuducit. Hîc igitur, quod ſparſim hoc Opuſculo, ut bene mori liceat, docebamus, Deum proximùmq; amare, abnegare vinceréq; nos ipſos, ad gloriam Dei diligenter operari omnia, quàm creberrimè mortis meminiſse, eámq; meditari, orare, examinare conſcientiam, Chriſtum Ducem in terris verſantem, próq; noſtra ſalute extrema quæq; Paſsum imitari diſcimus. hîc purgare à peccatis animum, pœnis voluntariis culpas abolere, ſacro ſeſe Epulo convenienter reficere, Teſtamentum

in

in ocio & quiete condere, híc de ſtatu vitæ, qui cuiq; ſit bonæ tum vitæ, tum mortis principium, deliberare nullo interpellante, licet. his deniq; Exercitiis, quisquis, ut oportet, excolitur, quamvis antè vitam duxerit homine indignam, tamen ( quod de ſtatu Religioſo aſserit Bernardus ) deinceps *vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs: incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, MORITUR confidentiùs purgatur citiùs, remuneratur copioſiùs,* Quas utilitates ineſse ſacris Exercitiis cùm non ignorarent Viri Sapientes, non ſatìs habebant ex hoc Pietatis fonte haurire vitæ Sanctimoniam, niſi etiam piæ mortis felicitatem indidem quæſiſsent. Primas horum teneat S. Carolus Borromæus Cardin. & Archiep. Mediolanenſis, qui etiamnum penes Avunculum ſuum Pium IV. ſummum Pontificem Romæ degens, in Vaticano, ex his îpſis Exercitiis & initia atq; incrementa admirandæ & numeris omnibus abſolutæ ſanctitatis hauſit adeóq; bis quotannis ea iterabat; ſemper aliquo è noſtris præſente, à quo non tantùm quoad interiores animi motus, & exteriores actiones dirigeretur, ſed ipſa etiam Meditationum puncta, ante quamlibet meditationis horam, ſibi tradi volebat. ( *Lyræus Apophth. S. Jon. l. 1. c. 9.* ) quod & immediatè ante mortem præſtitit pro felice ex hac vita ad æternam illam & felicem emigratione: uſus hac in re operâ Confeſsarii ſui ac Patris ſpiritualis Franciſci Adorni, in cujus manibus ſanctam & innumeris meritis plenam Deo animam reddidit, & cui ſtatim glorioſus quoq; apparuit, mortemq; ejus brevi ſecuturam veriſsimè prædixit.

S. Ca-

S. Carolum imitari voluiſse videtur Martinus Stredonius Provinciæ Bohemiæ S. J. gubernandæ bis Præpoſitus, de quo *in Pretioſis Occupationibus morientium in Soc. JESU* Joannes Nadaſi iſtud annotavit. ( *cap. 32.* ) Unum menſem ad obeunda S. P. N. Exercitia petebat, pro *Præparatione ad mortem*. Impetrârit illa atq; exercuerit, nec ne, reticuit author; exercuiſse ante mortem ipſam ſcio P. Georgium Oſterman Plachy Kuttenbergæ A. 1664. religioſè defunctum, Virum à Religioſa obſervantia, ſcientiarum opulentia, & defenſa per illum Anno 1648. Vetero-Pragâ, cui occupandæ, obtentâ per proditionem Micro-Pragâ, jam tum Svecus incubuerat, etiam nunc in popularium animis memoriáq; viventem: quem ego ( & liceat ) meis quoq; humeris ad S. Barbaræ Baſilicam elatum eſse glorior, & vel idcirco felici morte ſublatum confido, quòd tam ſanctæ Occupationi immortuum gaudeo. Sed & *P. Joanni Hieronymo* Hiſpali, præſtans ad mortem apparatus fuêre ſacra Exercitia. Invitati ſacrâ Clementis VIII. beneficentiâ ad Indulgentias Noſtri, ſe S. P. N. Exercitiis excoluêre. Inter primos fuit P. *Joannes*, eo ſucceſsu, ut illic vir aliàs modeſtiſsimus ac prudentiſsimus, dixerit ſe vidiſse SSS. Trinitatem in throno, cui hinc Regina gloriæ cum omni Cælitum corona, inde S. Michaël cum hierarchicis Ordinibus Angelorum aſsiſtebat. Ibi ſe plenam peccatorum veniam accepiſse; & dulciſsimâ electionis arrhâ cordi ſuo impreſsâ donatum. Poſtulanti autem ſibi, ut vel in gratia confirmatus peccare non poſset, vel de vita tolleretur, preces non irritas cecidiſse. Impetravit

travit posterius. Nam brevi in morbum per octo dies mirè sævientem incidit, nullâ vitæ, votis, vel aliter prorogandæ mentione admissâ; cùm diceret, se nunquam paratiorem fore ad mortem. ( *Nad. Pret. Occup. c. 7. n. 9. pag. 46* ) Ita ille octo Dies Exercitiis, octo alios morbo dedit & morte spei plenâ excessit ad videndam, & amandam æternum SSS. Trinitatem. Parem felicitatem spera, si paremOccupationem vel semel quotannis exercendam assumpseris, Moriture Lector. Quod ut facias, si ego non persvadeo, persvadeat adhortatio Pauli III. in eo Diplomate, quo hasce Exercitationes S. IGNATII, ad perpetuam memoriam ratas sanctásq; esse voluit, in hæc verba loquentis: *Hortamur plurimùm in Domino omnes & singulos utriusq; sexûs Christi fideles, ut tam piis Documentis & exercitiis uti, & illis instrui velint*; impetret ipsius S. P. Jgnatii deprecatio, quam ille interponit in quadam Epistola adEmmanuelemMionamSacerdotem gravissimum, quo usus ipse quondam Compluti Confessario fuerat, Parisios datâ; ubi cùm petisset ab Emmanule significari sibi successum Exercitiorum, si ea expertus esset, continuò subjicit: *Sin autem expertus nondum es, per Filii Dei amorem ac reverentiam, & acerbissimam necem, quam causâ nostrî obiit, peto, quæsóq;, ut in ea te des. Tum verò si te facti pœnituerit, prœterquam quòd pœnam nullam recuso, putato me planum atq; irrisorem, & quidem personarum, quibus tantum debeo. Iterum, atq; iterum, & quoties valeo, ad DEI obsequium idipsum flagito, ne ad ultimum divina Majestas requirat ex me, quòd non ursérim,*

*urserim, neq; cunctis meis viribus postularim id, quod in hac vita equidem possum sentire, & excogitare optimum, tum ut homo sibi ipsi proficiat, tum ut fructus ferat, prositq;, ac proficiat aliis multis.* Ita S. Ignatius. *Venetiis Kal. Novemb. 1536.*

# CAPUT X.

## *In Eventu subitæ mortis quid facto sit opus.*

R. P. Andreas Schambogen S. J. Vir asceseos apprimè peritus, & ab administrata, cum laude Bohemiæ Provincia, illiusq; primariis Domibus multùm commendatus, hâc quoque inter doctrinas ceteras, spirituales filios imbuebat, ut, quieti cessuris, non antè obreperet somnus, quàm ipsi certos in se Affectus excitarent. ita si asvescerent, & repentè contingeret mori, facilè futurum, ut in eosdem ex usu erumperent, magno salutis lucro. Pios hosce affectus quinq; literis, quæ SS. nomen JESUS conficiunt, designabat memoriæ causâ.

I. J. JESUM, MARIAM, JOSEPHPUM piè inclamare. Apud homines profanos, ajebat, in repentinis casibus nihil est usitatius, quàm exclamare; *Heu! quid hoc? Eheu!* aliáque ejusmodi: at proborum verò, alius est usus. SS. Nomina sunt illis in corde, sunt sæpe in ore. Felices! nam, ut alicubi legisse me memini,

*Hæc tria Nomina*
*Sunt bona omina,*
*Et mundi lumina,*
*Et cœli limina.*

2. E. Elicere conari actum Contritionis. Ita David: *Peccavi Domino!* & mox audit. *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum à te.* Et Publicanus: *Deus propitius esto mihi peccatori!* & justificatus descendit. Verè Chrysostomus: *Non impeditur temporis angustiâ Dei misericordia.* in Psal. 50.

3. S. Signa doloris de peccatis exhibere, v. g. Confessionem expetendo, oculos levando in cœlum, pectus percutiendo, manus in cœlum levando, &c. Eò videlicet, ut ejusmodi signis etiam per alios cognitis, superveniens Confessarius, Moribundum absolvere à peccatis valeat. Attritio namq; absolutioni juncta peccatorem justificat; extra Absolutionem sola Contritio, quam inveteratis peccatoribus elicere difficile est.

4. U. Voluntatem suam cum divina plenè conformare, se suáq; omnia DEO integrè committere, mortem licèt acerbam & subitam de manu Illius libenter acceptare, pro peccatis offerre, bene de DEO sperando, cui nihil sit repentinum, nihil improvisum, quémq; diligentibus omnia cooperantur in bonum.

5. S. Spiritum in manus Patris cœlestis affectuosè commendare.

Ita quidem in subitis mortis repentinæ casibus quemvis agere par est. Sed nisi in vita istis assvescamus, excident in morte, cùm quotidianâ experientiâ constet,

conſtet, totum hominem tunc in eo eſse, ut à mortis periculo liberetur. Quare ſvadebat ſuprà laudatus Pater; ut homo ſalutis ſuæ cupidus horologiario cymbalo admonitus ſeſe tantiſper colligat, atq; intra ſe his aut horum ſimilibus affectibus vacet: 1. JESUS, MARIA, JOSEPH. 2. *Ah doleo! ah diligo.* 3. (pectori manu admota) *Deus propitius eſto mihi Peccatori!* 4. *Sicuti tu ſcis ac vis ita fac mecum Domine in vita, in morte, in æternitate.* 5. *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.*

Quia verò in ſubitis moriendi periculis terror ingraveſcens plerumq; hominem ſic à mente dejicit, ut ſibi ſalutiq; ſuæ conſulere vix aut ne vix quidem poſsit, Chriſtiana charitas circumſtantes permovere debet, ut hos illi Pietatis Affectus inſinuent, útq; ſine mora ſeſe proripiant ad evocandum Confeſsarium, qui periclitanti ſuccurrat. Nam ſi uſpiam, hîc profectò locus eſt ſacræ illi paginæ: *Unicuiq; Deus mandavit de proximo ſuo.* (*Eccli.17.12.*) Eſt enim interdum videre, ad hominem cum morte luctantem ingentem fieri hominum concurſum, quorum tamen nullus ad acceſſendum Sacerdotem procurrat, an ex oblivioſa quadam alienæ ſalutis incuria, an ex DEI ita juſtè diſponentis permiſsione, nihil definio. Quodſi tamen ad periclitantem evocetur Sacerdos, meminerit ita ſibi accelerandum eſse, ut feſtino per plateas curſu nihil ſuæ authoritati derogandum ſit, imò juxta Theologorum ſententiam conſecratas etiam in Sacrificio Miſsæ ſacras Species (quibus interim cuſtodiendis fidelis quiſpiam præficiatur) tantiſper deſerere, tum ubi Moribundo,

prout

prout par erat, succurrit, ad consummandum sacrificium reverti debeat. Quæ doctrina est P. Eliæ Stanislai Ottho *in Ministerio Angelico*, desumpta ex *Zambrano* p. 5. tr. 3. resol. 70 *quem refert Diana* tom 2. *tract. 1. de cebr. Miss. resol. 136.* Usque adeò pretiosæ sunt DEO nostræ animæ, ut ob earum salutem suo quasi jure cedere ad tempus non recuset, honorémq; suum à sacrificio promanantem interrumpi, permittat. Eusebius Gallicanus tanquam in ecstasi positus illud edixerat: ( *Hom. 6. de Pasch.* ) *Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo DEUM valere videatur*; hîc tanta est divinæ Majestatis commoditati hominis sese postponi patientis modestia, ut non tantùm *homo Deum valere*, sed ( sanè loquendo ) *prævalere Deo* videatur. Habeat sibi sanè Christianorum quilibet commendatam illam cautionem: *Si offers munus tuum ad altare & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùs te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*; ( *Matth. 5. 23.* ) Sacerdos profectò ad Moribundum vocatus id sibi dictum putet: *Si offers DEO* munus sacro-sancti Sacrificii *ad altare*, & monitus fueris, quia frater tuus cum morte luctatur; *relinque ibi munus tuum ad altare, & vade priùs Deo reconciliare* ( per confessionem, absolutionem, unctionem ) *fratrem tuum, & tunc veniens offer munus tuum.* Jam si DEO tam acceptum munus, quo cogitari nullum acceptius potest, ob instantem Proximi necessitatem interrumpi convenit, reputet secum ipse pru-

denter Sacerdos, posſitne eſse aliquid, quod illum á ferendo Periclitantibus auxilio ſpirituali remorari, ne dicam, retrahere queat? Nihil eſse poterit profectò, ſi præſertim ad ſe eo maximè tempore pertinere judicet illam admonitionem: *In omnibus operibus tuis eſto velox*; ( *Eccli. 31. 27.* ) & quoniam Sacerdos *Angelus Domini exercituum eſt*, habito præ oculis illo ſtimulo: *Ite Angeli veloces*, inducat in animum, ad ſuccurrendum Morientibus Seraphicas charitatis alas aſsumere ſeſe, nec tam currere, quàm volare debere. Ingens eſse hujuſcemodi celeritatis præmium in altera vita pœna tarditatis demonſtrat. Quam vel ex Philippo Servio colligere licet, ( *Amici fidelis p. 1. pag. 15.* ) qui commemorat ſacerdotem quendam in Provincia Gallobelgica poſt mortem alteri item è Societate ſpectatum dixiſse: diu ſe graviſsimam pœnam damni paſsum, & excluſum à conſpectu DEI: *quia*, inquiebat, *in viſendis juvaudísq; Moribundis, dum vita ſinebat, tardior fuerim, ac negligentior. quam tarditatem ac negligentiam, ut expiarem, juſsit DEUS, ut animam agentibus præſtò eſsem, eósq; in morem Angeli Tutelaris adjuvarem. Sunt, non modò ex noſtro, ſed etiam ex aliis Ordinibus bene multi, qui etiamnum indiligentiam ſuam in viſendis, ſolandísq; moribundis, ſimili modo expiant.* ( *Nadaſ. Occup. pret. mor. in Societ. c. 38. n. 3.* ) Sic ille. Ergo ſancte DEI Miniſter, ſimul atq; intelligis morte repentinâ, ſeu etiam Lentâ periclitari proximum, ( *Eccli. 38. 24.* ) *Conſolare illum in exitu Spiritûs ſui*, ad amorem DEI, ad dolorem de peccatis, ad voluntatem Deo

conſecran-

consecrandam excita, seu verbo seu nutu pœnitentem absolve, si potes, extremùm unge, sacro Viatico communi, nec quidquam omitte, quo extremùm periclitanti prosis. Sic nimirum ad unguem explebis D. Ambrosii monitum, inquientis: (*De bono mortis c. 8.*) *Si quem in extremis positum viderimus, non relinquamus. Occurrat & nobis dicere:* Benedictio morituri in me veniat. ( *Job. 29. 13.* ) *Laudet & te unusquisq; morbo absumptus, & jam morti proximus. Hic versiculus quantos benedici fecit? quoties mihi pudorem incussit, si moriturum præterii, si non visitavi graviter ægrum?* Ita Ambrosius. Beati, qui sic in morte consolantur alios, quoniam & ipsi morientes consolatione replebuntur, & quod præstiterunt aliis, sibi quoque exhiberi videbunt. Pignus felicis mortis est charitas & misericordia, in Moribundos præsertim. Unde Augustinus peramanter monet: *Amate misericordiam, quia nunquam vidi pium hominem malâ morte finiri.* ( *To. 10. f. 6.* ) Et alibi: *Habe charitatem: tunc pervenies ad æternitatem, ubi invenies securitatem.* ( *Serm. 69. de diversis.* )

# PARS IV.

## *Orationes, Affectus, Aspirationes.*

## Ad impetrandam felicem mortem accommodatæ.

## CAPUT I.

## ORATIONES.

### §. I. *Oratio Dominica & Angelica Salutatio.*

PRincipatum ſemper teneant Oratio Dominica, & Angelica Salutatio: quarum priorem cùm ſimus indigniſsimi, tamen præceptis ſalutaribus moniti, & divinâ inſtitutione formati audemus dicere, Deúmq;, rerum omnium Creatorem ac Dominum viliſsimi vermiculi Patrem appellare: ſive autem illa ad morbum, ſive ad mortem accommodetur, præſtantiſsimos Virtutum præcipuarum affectus (quos tamen ab orante neceſse eſt intendi) illi tempori convenientes continet. Quid enim præclarius, aut ægrotanti morientiq; conſultius, quàm *paternæ DEI providentiæ filiali fiduciâ* de integro ſeſe committere? ad *cæleſtem Patriam* anhelare? optare & petere, ut per morbum & mortem illius, DEI nomen laudetur, *ſanctifi-*

*sanctificetur* & glorificetur? ut ad *regni* æterni possessionem quamprimum admittatur? ut *sancta Dei voluntas*, perinde ut *in cœlo* fit, de ipso, per ipsum, in ipso perfectissimè impleatur? ut *Pane illo supersubstantiali* Deitatis, quo solo anima satiari potest, hodie & quantocyùs perfruatur? ut quidquid vel ipse in Deum, vel in illum proximus deliquit, id à Deo utriq; misericordissimè *condonetur*? ut illum periculosis in exitu vitæ Diaboli *tentationibus* succumbere Deus non patiatur? ut deniq; ab *omni malo* in hac vita culpæ, in altera pœnæ & purgatoriæ & Tartareæ liberetur? Salutatio verò Angelica tum profectò salutem nostram in tuto collocat, cùm nobis efficax Dulcissimæ Dei Matris patrocinium *in hora mortis* exorat. Itaq; non immeritò has ego Orationes tanti facio, ut ad impetrandam felicitatem mortis sufficere putem: quia tamen humanum fastidium varietatem desiderat, multiplices alias hîc subjiciemus, iterum, iterúmq; monentes, ne illas in extremum vitæ rejiciamus, sed quamdiu valemus, jam nunc pro tunc usurpemus, nobisq; ipso usu familiares reddamus. Inertia ferruginem armis, usus splendorem conciliat.

## §. II. *Commendatio animæ serviens bene valentibus.*

FInge animo, quàm potes vivacissimè te à Medicis depositum in momenta singula mortem expectare, cereum etiam accensum, ut moribundis datur, in manum, si lubet, accipe, & corde contrito ac humili sic ipse te alloquere:

Proficiſcere, ô anima mea, de hoc mundo, quandocunq; DEO ità viſum fuerit, in nomine DEI Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine JESU Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt: in nomine Spiritûs S. qui in te effuſus eſt: in nomine Angelorum & Archangelorum: in nomine Thronorum, & Dominationum: in nomine Principatuum & Poteſtatum: in nomine Cherubim & Seraphim: in nomine Patriarcharum & Prophetarum: in nomine ſanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum: in nomine ſanctorum Martyrum & Confeſſorum: in nomine ſanctorum Monachorum & Eremitarum: in nomine ſanctarum Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei: ſit illo die in pace locus tuus, & habitatio tua in ſancta Sion. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DEUS miſericors, DEUS clemens, DEUS qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccatum pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas veniâ remiſsionis evacuas: reſpice propitius ſuper me famulum tuum, & remiſsionem omnium peccatorum meorum totâ cordis confeſsione poſcentem deprecatus exaudi. Renova in me piiſsime Pater, quidquid terrenâ fragilitate corruptum, vel quidquid diabolicâ fraude violatum eſt: & unitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte; Miſerere Domine gemituum, miſerere lacrymarum mearum; & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia ad tuæ ſacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Commendo te omnipotenti DEO, Anima mea, & ei, cujus es creatura, committo, ut cùm ex hoc corpore morte interveniente exieris, ad auctorem tuum, qui te de nihilo creaverat, revertaris. Egredienti itaq; tibi de corpore splendidus Angelorum cœtus occurrat: judex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus adstringat: mitis atq; festivus Christi JESU tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum à facie ejus. Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores á facie Dei: & justi epulentur, & exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur & erubescant omnes tartareæ legiones, & ministri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te à morte æterna Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui amœna virentia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat; atq; ad dextram suam in electorum suorum te Societate constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem

ciem videas, & præſens ſemper aſsiſtens manifeſtiſsimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtituta igitur, ô anima mea inter agmina beatorum, contemplationis dulcedine potiaris in ſecula ſeculorum. Amen.

Suſcipe me Domine indigniſsimum ſervum tuum in locum ſperandæ mihi ſalvationis à miſericordia tua. Amen.

Libera Domine in morte animam meam, ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. Amen.

Libera Domine in morte animam meam, ſicut liberâſti Henoch & Eliam de communi morte mundi. Amen.

Libera Domine in morte animam meam, ſicut liberâſti Noë de diluvio. Amen.

Libera Domine in morte animam meam, ſicut liberâſti Abraham de Ur Chaldæorum. Amen.

Libera Domine in morte animā &c.

- Sicut liberâſti Job de paſsionibus ſuis. Amen.
- Sicut liberâſti Jſaac de hoſtia & de manu patris ſui Abrahæ. Amen.
- Sicut liberâſti Lot de Sodomis, & de flammis ignis. Amen.
- Sicut liberâſti Moyſen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. Amen.
- Sicut liberâſti Danielem de lacu leonum. Amen.
- Sicut liberâſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. Amen.
- Sicut liberâſti Suſannam de falſo crimine. Amen.

Sicut

Libera, &c. Sicut liberâsti David de manu Regis Saul & de manu Goliæ. Amen.
Sicut liberâsti Petrum & Paulum de carceribus. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem & martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberâsti: sic liberare digneris animam meam in morte, & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. Amen.

Commendo tibi Domine jam nunc pro extremo articulo mortis animam meam, & precor te Domine JESU Christe Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum Sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam non à Diis alienis creatam, sed à te solo DEO vivo & vero: quia non est alius Deus præter te, & non est secundùm opera tua. Lætifica tunc Domine animam meam in conspectu tuo, & ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, & ebrietatum, quas suscitavit furor sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverim, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non negavi, sed credidi: & Zelum Dei in me habui, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravi; atq; etiam nunc viva fide credo, & profundissima submissione adoro.

Delicta juventutis, & ignorantias meas, quæso, ne memineris Domine: sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto mei in gloria claritatis tuæ. Aperiantur mihi in hora mortis cœli, collætentur mihi Angeli. In regnum tuum Domine me servum tuum suscipe. Suscipiat me beatus Petrus

Apoſtolus, cui à te claves regni cœleſtis traditæ ſunt. Adjuvet me S. Paulus Apoſtolus, qui dignus fuit eſse vas electionis. Intercedat pro me S. Joannes electus Dei Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia. Orent pro me omnes ſancti Apoſtoli, quibus à Domino data eſt poteſtas ligandi atq; ſolvendi. Suſcipiat me cum tota Societate triumphante S. N. P. Ignatius, cujus me Domine filium eſse voluiſti. Adſint mihi Sancti NN. quos ut in ſalutis Patronos deligerem, me edocuiſti. Intercedant pro me omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Chriſti nomine tormenta in hoc ſeculo ſuſtinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire merear ad gloriam regni cœleſtis: præſtante Domino noſtro JESU Chriſto: Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Subvenite in egreſsu animæ meæ Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: ſuſcipientes animam meam: offerentes eam in conſpectu Altiſsimi. Suſcipiat me Chriſtus, qui redemit me, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant me: ſuſcipientes animam meam, offerentes eam in conſpectu Altiſsimi.

## Oremus.

Tibi Domine, meo & totius Eccleſiæ tuæ nomine, jam nunc pro ultimo vitæ momento commendo animam meam, ut, cùm defunctus fuero huic ſeculo, tibi vivam: & quæ per fragilitatem humanæ converſationis, aut meam malitiam, peccata commiſi, tu veniâ miſericordiſsimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

§. III.

## §. III. ORATIONES.

*Sanis, & ægrotantibus servientes.*

OMnipotens & misericors DEUS, qui humano generi & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti: respice propitius me famulum tuum, *infirmitate corporis laborantem* (sanus dicat: *cùm infirmitate corporis laboravero*) & animam refove, quam creâsti; ut in hora exitûs illius, absq; peccati maculâ tibi Creatori suo per manus sanctorum Angelorum repræsentari illa mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

Alia.

*SUscipe, quæso Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus Vitam, Passionem & Mortem Unigeniti Filii tui D. N. JESU Christi, quam tibi offero pro me indigno famulo tuo in extremo vitæ aliquando futuro; & concede: ut per illam universa mea delicta purgentur: ut quum tuæ dispositionis flagellis in hac vita fuero attritus, in futura requiem consequar æternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Alia.

ROgo clementiam tuam omnipotens DEUS, ut per virtutem Passionis Dominicæ me famulum tuum gratiâ tuâ confirmare digneris: ut in hora mortis meæ non prævaleat contra me adversarius, sed cum Angelis tuis transitum habere merear ad vitam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia.

## Alia.

*DEUS, cui proprium est misereri semper & parcere, tibi in sinum misericordiæ commendo animam meam: ut cùm eam de hoc seculo migrare jusseris, non tradas eam in manus inimici, neq; obliviscaris in finem, sed jubeas eam à Sanctis Angelis suscipi, & ad patriam paradisi perduci per Christum Dominum nostrum.*

## Alia.

QUæso, Domine, ut egressuram de hoc corpore animam meam Sanctorum atq; electorum consortio jungas, eiq; rorem misericordiæ tuæ perennem infundas, &, si quæ illi maculæ de terrenis contagiis adhæserint, remissionis tuæ gratiâ delere digneris. Per Christum.

## Alia.

*INclina Domine aurem tuam ad preces humilitatis meæ, quibus clementiam tuam suppliciter deprecor, ut animam meam, ubi de hoc sæculo migraverit, in pacis ac lucis regione constituas; & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum.*

## Alia.

ABsolve, quæso, Domine statim post mortem animam meam ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos & electos tuos resuscitatus respirem. Per.

Alia.

I*Nveniat, quæso, Domine, à morte anima mea lucis æternæ consortium: cujus perpetuæ misericordiæ consecuta est Sacramentum. Per.*

## §. IV. Protestationes S. Caroli Borromæi Ecclesiæ Cardin.

1. IN nomine SSS. Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego infelix & miser peccator, *Protestor* in præsentia tua, ô Angele Dei assignate mihi à divina sua Majestate pro ductore, cùm primùm natus sum; velle & desiderare me mori in ea sola vera, & Catholica fide, quam sancta Romana & Apostolica tenet, & profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam uspiam, mortui sunt; nec desidero diutiùs vivere, quàm placeat DEO meo, cui omnem voluntatem meam integrè ex toto subjicio.

2. *Protestor* etiam ô Angele DEI, desiderare & velle me sub tua sancta custodia ac protectione discedere ex hac vita cum spe divinæ misericordiæ, sine ulla titubatione in fide, non obstante quacunq; multitudine & gravitate peccatorum meorum; certò sciens ac firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Christi sufficientem futuram fuisse non solùm me salvandi, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset divinæ suæ Majestati.

3. Similiter *protestor*, ô Angele Sancte, petere me ex intimo corde participem fieri misericordiæ Redemptoris

demptoris & Domini mei JESU, remiſsionémq; omnium peccatorum meorum conſequi, ſcientem, quòd ipſe eam nulli peccatori quantumvis gravi & abominabili neget ritè contrito & confeſso, idq; per & propter merita amariſsimæ ſuæ paſsionis & mortis, & virtutem pretioſiſsimi Sanguinis ſui, pro me indigniſsimo in ligno crucis copioſè effuſi, per merita demum ſanctiſsimæ Matris ſuæ Virginisq; MARIÆ, & omnium Sanctorum & Angelorum.

4. Iterum *proteſtor*, Sanctiſsime mi Cuſtos, ſupplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædeſtinavit in ſuam gloriam; etiamſi oporteret me pati ob peccata mea in Purgatorio ad noviſsimum uſq; judicii diem, dummodo tandem per ipſius infinitam miſericordiam conſequar vitam æternam.

5. Sanctiſsime & vigilantiſsime mi Cuſtos *proteſtor* demum, conſtituere me, te Procuratorem Teſtamenti, ultimæq; voluntatis meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo JESU tres gratias.

*Primò* ut mihi donet unum ſolùm lacrymoſum ſuſpirium ex infinitis illis, quæ habuit ipſe, dum per tres horas vivus fuit in cruce, quorum efficaciâ & virtute mitigentur lacrymabiles illi ſingultus cordisq; preſsuræ, quibus in hora mortis affligar. Et ut glorioſiſsima Mater DEI MARIA, dignetur me vel unico etiam aſpectu ex iis, quos ipſa ſub cruce ſtans habuit, defigendo in unicum Filium ſuum virgineos oculos, ſuſcipiendo me in numerum eorum, qui ejus precibus & meritis in die judicii obtinebunt ſalutem,

ac

ac vitam ſempiternam. *Secundò*, ut tu fideliſsime Cuſtos meus in illa potiſsimùm hora mihi ſuccurras, quando anima mea ſeparabitur à corpore meo, ut inveniam benignum Judicem, merito flagrantiſsimæ illius charitatis, quâ paternum ipſius pectus in cruce fuit inflammatum pro ſalute peccatorum. *Tertiò*, ut tu idem piiſsime Cuſtos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eámq; de ergaſtulo corporis egreſsam, dexteræ tuæ potentiâ Redemptori meo offeras, ut eum unâ tecum & cum ſanctis omnibus in cœli gaudiis videam, perfectè amem, eóq; æternaliter fruar; cui ſit laus, honor, & gloria in omnem æternitatem. Amen.

## §. V. Ad Chriſtum Crucifixum.

### Ex P. Franciſco Poirè.

O Lignum ſacrum, ô arbor glorioſa, quæ vitæ fructum portâſti, & inſtrumentum ſalutis meæ extitiſti, te adoro, & quàm poſsum humillimè coram te me demitto. O JESU, ſumme mi Pontifex, qui ſolus inventus es dignus, qui divinum hoc altare conſcenderes, & æterno Patri ſacrificium expiationis offerres, meáq; peccata tuo ſanguine ablueres; pro hoc, aliisq; omnibus beneficiis tibi quantas poſsum gratias ago. Tuus ſum absq; ulla comparatione magis, quàm egomet mei ipſius, ſiquidem tu mihi te dediſti, vitáq; tuâ infiniti pretii me redemiſti. Quo titulo ſervitutis ſummè delector, plurisq; illum facio, quàm quemcunq; alium, cujus poſsem eſse capax, meámq; tibi libertatem totupliciter reddo, quotuplicibus à te beneficiis ſum affectus. O adorandum Salvatoris

mei *Caput*, longè mihi es carius & amabilius cum tua ſpinea corona, quàm ſi omnia mundi diademata geſtares. O ſancta *Capitis vulnera*, ſanctáq; inſtrumenta ſpinarum, quæ divinum hoc caput transfixiſtis: vos, vos agnoſco, fateorq veros eſse canales, per quos ſalus mea defluxit. O ſanctum *OS*, ex quo emanârunt oracula æternarum veritatum, & omnis omnino bonorum certitudo, quæ unquam poſsum ſperare; per quod infuſæ ſunt omnes gratiæ, omnesq; cœli ſvavitates: à quo etiam expecto ultimum æternitatis meæ decretum; ô ſi auderem tibi oſculum figere! quidni hoc oſculum pacis, & tutamen poſthac mihi futurum ab omni timore arbitrarer? O *oculi* ipſis cælorum aſtris millies lucidiores, ex quibus profluxerunt tractus & illectus amoris, qui innumeros peccatores converterunt, atq; pertinaciam & obſtinationem cordium vel maximè induratorum infregerunt; ô ſi vel unicum favorabilem è vobis proficiſcentem jactum emitteretis; cor meum peccatis obduratum quamprimum emolleſceret, & in ſinum veſtrum reſiliret. O benedictæ *Manus*, quæ cœlum & terram fabricâſtis, in quibus clauſum continetur pretium noſtræ ſanctificationis; facite, ô facite vel unicam guttulam pretioſi illius ſanguinis, quem pro me fudiſtis, defluere ſuper me, & tunc nihil verebor æterni Patris tribunali me ſiſtere. O *Cor* JESU, ſcaturigo vitæ, fons amoris, promptuarium omnis gratiæ, & theſaure infinitæ bonitatis, fac, ut remiſsionem peccatorum, quam mihi moriens comparâſti, à te percipiam. O ſi vel unicum tuorum ſuſpiriorum mihi concederes! illud mihi ſatis abunde

esset, non solùm ad obtinendam veniam meorum, sed omnium totius etiam mundi delictorum. Dum Sanctuarium hoc apertum est, patere me eò ingredi, ô Salvator mi! Si enim ad hoc asylum pertigero, nullæ dæmonum vires poterunt me inde avellere. Largire mihi hanc gratiam, ut in sinu cordis tui me abscondam, usq; dum ira Patris tui mitigata conquiescat. O sacri *Pedes*, qui tot vias ambulâstis ad me requirendam Ovem, quæ perierat; quomodo nunc dum vobis sponte occurrit, velletis eam rejicere? Vos complector Columnas cœli, deliberatum habens vos non derelinquere, nisi postquam audivero dulce illud verbum, quod Salvator meus dixit Magdalenæ, dum illa vos suis lacrymis irrorabat: *Remissa sunt tibi peccata tua.* Quod si de lacrymis tantopere agitur, disrumpe, mi amabilissime JESU duritiem cordis mei, & fac, ut ex eo erumpant scaturigines aquæ vivæ. transfige & eventila omnes venas meas, & educ de oculis meis etiam sanguineos rivos lacrymarum. Si neq; amorem, neq; verè pœnitentis tuæ Magdalenæ, neq; unguentum, quo te unxit, habeam; vel unica tua lacrymula cœlum & terram condiet, & plus amoris mihi, quàm ipsi Seraphim habeant, instillabit. O Pater juste, Pater sancte, Pater æternæ, en redemptionis meæ pretium: vide, obsecro, Filii tui latus, vide membra plagis sauciata, vide caput pro me inclinatum, vide totum quantum corpus dilaceratum, & ne mihi in extremis constituto deneges redemptionis gratiam, quæ Filio tuo tam caro constitit. Si mea crimina me indignum reddunt, quò minus

veniam in tuum conſpectum, nolo me reſpicias, ſed ſolùm ut oculos tuos in faciem Filii tui conjicias. Poterìsne autem tu quidquam denegare Agno, qui pro me immolatus eſt? Si reſpectus & reverentia, quæ debebatur illius divinæ perſonæ, te obligat ad concedendum, quidquid petiit in cruce; dignare obſecro recordari, quòd ſalus mea, una fuerit ex petitionibus, quas tibi tunc fecit. Non propter proprium aliquod meritum ſalutem meam ſpero, ſed quia JESUS benedictus Filius tuus illam pretio ſui ſanguinis acquiſivit. En vox ejusdem longè potentior, quàm Abelis, etiam nunc reſonat in auribus tuis, clamans: *Pater, remitte illi!* Audi hanc vocem, & jam in pace dormiam, & requieſcam. Eripe Domine hanc pauperculam animam ex unguibus infernalis leonis, ut in perpetuum glorietur ſe à Leone de Juda ereptam, ſitq; ea unus à fructibus victoriarum Filii tui, téq; in ſua & Spiritûs Sancti individua Societate tamdiu benedicat, quamdiu in Trinitate Perſonarum, & Unitate unius & ejusdem Eſsentiæ regnaturus es DEUS in ſecula ſeculorum. Amen.

## Ad ſingula membra Crucifixi.

SAlve tremendum cunctis poteſtatibus *Caput* Domini noſtri JESU Chriſti Salvatoris noſtri pro nobis ſpinis coronatum & arundine percuſsum. Salve ſpeciosiſsima Salvatoris noſtri JESU Chriſti *facies*, pro nobis ſputis illita, & alapis cæſa. Salvete benigniſsimi Domini noſtri JESU Chriſti Salvatoris noſtri *Oculi*, pro

pro nobis lacrymis perfusi. Salve mellifluum *Os, gúttur*que, svavissimum Domini nostri JESU Christi, pro nobis felle & aceto potatum. Salvete *Aures* nobilissimæ Domini N. J. Christi Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis & opprobriis affectæ. Salvete venerabiles D. N. J. Christi *manus & brachia*, pro nobis in cruce extensa. Salve *pectus* mitissimum D. JESU Christi Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum. Salve *latus* gloriosum D. N. J. Ch. pro nobis lanceâ militis perforatum. Salvete D. N. J. Ch. Salvatoris nostri sacra misericordiæ *genua*, pro nobis in oratione flexa. Salvete D. J. Ch. Salvatoris nostri *pedes* adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum *corpus* JESU Christi pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salve *Sanguis* pretiosissime de corpore D. N J Christi Salvatoris nostri, pro nobis effuse. Salve sanctissima D. N. J. Christi *anima*, in cruce pro nobis in manus Patris commendata.

In eadem commendatione tibi commendo hodie & quotidie, & in hora mortis meæ animam meam, cor, & corpus meum, omnes sensus & actus meos; omnes amicos, benefactores, & consanguineos meos; animas parentum, fratrum, sororum, & omnium amicorum, & inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum, visibilium, & invisibilium, nunc & in perpetuum.
Amen.

## Salutatio Vulnerum Crucifixi, ex more Sanctæ Mechtildis.

O Sacratissima Domini mei Jesu Christi pro me crucifixi Vulnera salvete, salvete. Salvete in omnipotentia Patris, qui vos dedit: Salvete in sapientia Filii, qui vos sustinuit: Salvete in benignitate Spiritûs Sancti qui in vobis opus Redemptionis perfecit. Salvete monumenta charitatis: Salvete testimonia obedientiæ: salvete solatia fidelis animæ: salvete pretia redemptionis humanæ: salvete pignora futuræ gloriæ. Salvete fortitudo Martyrum: salvete patientia Confessorum: salvete gloria Virginum: salvete gaudium Angelorum: salvete corona Sanctorum omnium. Salvete! salvate, sanate, mundate, purgate, sanctificate. Sanctificate animas nostras in potentia Patris; sanate mentes nostras in sapientia Filii: mundate corda nostra in bonitate Spiritûs Sancti: salvate nos ab æterna damnatione: purgate nos ab omni inquinatione: sanctificate nos in vestra dilectione; cum abundantia vestrarum gratiarum in hac vita, & cum plenitudine gloriæ in altera. Amen.

## Sanctæ Gertrudis ad JESUM.

O JESU mi charissime, quando corpus meum te permittente revertetur in pulverem, & anima mea refluet in suam originem? Quando in te, pax mea, obdormiam & requiescam, ut apertè contemplet tuam ineffabilem gloriam? quando plenè aspirabit mihi mellifluæ divinitatis tuæ fragrantia, & exorietur

tuæ manifeſtæ viſionis Dies ſempiterna? O quàm bonum eſt, dilecte mi, te clarè videre, te habere, & in æternum poſsidere! Eja tu mihi concede, ut miſeram hanc vitam in tua gratia & amicitia feliciter finiam. In hora exitûs mei benedic animæ meæ, & mortem involve vitali morti tuæ, quæ eſt chariſsimum fœdus firmiſsimúmq; pactum reconciliationis meæ. Tunc mitte fidelem adjutricem MARIAM Virginem Matrem tuam amabilem, ſtellam maris inclytam, ut conſpectâ hac præclarâ rutilantíq; aurorâ cognoſcam te ſolem juſtitiæ mihi jam propinquum eſse. Dic in morte animæ meæ: Salus tua ego ſum: ego creator & amator tuus, per anguſtias mortis quæſivi & acquiſivi te: ſemper mecum eris, noli timere. Eja tunc recipe me in beatam domum æternitatis & claritatis tuæ. Ibi ô ſalus mea unica viſu mellifluæ præſentiæ conſolare me. Ibi guſtu charæ acquiſitionis tuæ, quâ me redemiſti, recrea me. Ibi inſpiramento ſvavifluí ſpiritûs tui attrahe me; & imbibe me. Ibi per oſculum perfectæ unionis in perpetuam tui fruitionem immerge me: ut vivam de te, & exultem in te, tibiq; hoſtiam laudis reddam ſine fine. Amen.

## Ad SS. Nomen JESU.

DIgnare benigniſsime JESU per hoc ſanctum Nomen tuum eſse mihi JESUS, & dare mihi ſpiritum Nominis JESU. Inſere cordi meo hoc amabile nomen tuum, ut ejus dulcedine paſcar, ejusq; amore ità ardeam, ut *Moriar* & vivam in te JESU mi dulciſsime, JESU mi ſvaviſsime, JESU mi dilectiſsime: invocato

vocato ſemper, maximè in hora mortis meæ, hoc jucundiſsimo, hoc mellifluo, hoc ſalutifero nomine tuo Jesu, Jesu, Jesu!

## Oratio ad Chriſtum.

### S. Ignatio Confeſs. familiaris.

Anima Chriſti ſanctifica me,
Corpus Chriſti ſalva me,
Sangnis Chriſti inebria me,
Aqua lateris Chriſti lava me,
Paſsio Chriſti conforta me,
O bone Jesu exaudi me,
Intrá vulnera tua abſconde me,
Ne permittas me ſeparari à te,
Ab hoſte maligno defende me,
*In hora mortis* meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum ſanctis laudem te,
In ſecula ſeculorum. Amen.

## Oratio eadem pauló auctior.

Anima Chriſti ſanctifica me in veritate:
Corpus Chriſti ſalva me in perfecta & vera charitate:
Sanguis Chriſti inebria me dulciſsimâ tuâ ſvavitate;
Aqua lateris Cbriſti lava me ab omni impuritate:
Paſsio Chriſti conforta me in mea imbecillitate:
O bone Jesu exaudi me ad te clamantem in omni neceſsitate:

Intra

Intrà vulnera tua abſconde me à paternæ iræ gravitate:
Ne permittas me ſeparari à te quacunq; ſceleris impietate:
Ab hoſte maligno defende me, & ejus crudelitate:
*In hora mortis meæ* voca me in pace & tranquillitate:
Et jube me venire ad te ex hac miſera captivitate:
Ut cum ſanctis tuis laudem te in perpetua felicitate:
In ſecula ſeculorum, totâ beatiſsimâ æternitate.
Amen.

## Ad Chriſtum in Cruce morientem.

DOmine JESU Chriſte propter illam amaritudinem, quam pro me miſerrimo ſuſtinuiſti in cruce, maximè in illa hora, quando nobiliſsima anima tua egreſsa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſsu ſuo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

## Ad eundem S. Franc. Seraphici.

ABſorbeat, quæſo, Domine JESU Chriſte, mentem meam ignita & mellifluа vis amoris tui ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt: ut amore amoris tui *Moriar*, qui amore amoris mei dignatus es mori. Qui vivis.

Dicenti devotè genibus flexis Orationem ſequentem S. Auguſtini, conceſsit Bonifacius VIII. octoginta millium annorum indulgentiam. Eandem verò per continuos 40. Dies orantibus, & confeſsis

fessis ac verè contritis plenariam. Ita Joan. Nadasi diurno div. amor. c. 19. pag. 187.

Quæ indulgentiæ si sunt revocatæ, magnam tamen Oratio habet efficaciam, utpote Passionis Dominicæ memorativa.

DEUS, qui pro redemptione mundi nasci voluisti, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atq; conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & colaphis cædi, opprobriis vexari, conspui, spinis coronari, arundine percuti, facie velari, vestibus spoliari, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine, per has sanctissimas pœnas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

## Ad Christum Patientem.

### Orationes, *ex Rituali Pragensi.*

### I.

DOmine JESU Christe, per tuam sanctissimam agoniam, & orationem, quâ orâsti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem præ timoris

angustia

angustia copiosissimè pro nobis effudisti, offerre, & ostendere digneris DEO Patri Omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum meorum, méq; liberare in hora mortis meæ ab omnibns pœnis & angustiis, quas pro peccatis meis me timeo meruisse. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas DEUS in secula seculorum. Amen. Pater. Ave.

## II.

DOmine JESU Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce; obsecro te, ut omnes amaritudines passionum & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, maximè in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre & ostendere digneris DEO Patri Omnipotenti pro me peccatore miserrimo, méq; liberare in hora mortis ab omnibus pœnis & passionibus, quas pro peccatis meis me timeo meruisse. Qui cum Patre, &,Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in secula seculorum. Amen. *Pater. Ave.*

## III.

DOmine JESU Christe, qui per os Prophetæ dixisti: *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans*; obsecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre, & ostendere digneris DEO Patri Omnipotenti pro me miserrimo Peccatore; méq; liberare ab omnibus passionibus, & pœnis, quas pro peccatis meis me timeo meruisse,

ruisse. Et salva animam meam in hora exitûs mei. Aperi mihi januam vitæ, & fac me gaudere cum sanctis tuis in gloria æterna. Et tu piissime Domine JESU Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo miserere animæ meæ, & eam introducere digneris ad semper virentia & amœna loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, & à te, & ab Electis tuis nunquam separari possit. Qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas DEUS in secula seculorum. Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

## Oratio.

### Pro felici morte. *P. Petri Canisii S. J.*

DOmine JESU Christe, vitæ & necis Princeps, cui & vivimus, & morimur, per sacrosanctam & amarissimam in cruce mortem tuam precor, ut adventus in mea morte tuus me non uti dormientem, imparatum, & inertem, sed vigilantem & frugi servum inveniat. Ne permittas, quæso, me impœnitentem ex hac vita migrare, & improvisâ morte præoccupari: sed moriturum maturè confirmes ac munias catholicâ fide, verâ pœnitentiâ, purâ confessione, dignâ satisfactione & sacratissimo Eucharistiæ viatico, oleique sancti perceptione. Cùm cetera me omnia deserent, quæ caduca & fluxa in hoc mundo possidentur, tu, qui cum Electis tuis perpetuò manes, me non deseras; præsertim in extremo illo vitæ agone, quando cum infestissimo Satana vel maximè luctandum est. Assistant mihi tum in morte Angeli tui, & migraturum adver-

adversùs tentationes omnes protegant: tum in doloribus consolentur, atq; confirment. Vigeant in me tunc fides, spes, charitas, & patientia: in manus tuas me animo præsente commendem, atq; in pace sancta obdormiam: ut in regnum tuum, quod nobis tanto pretio comparâsti, securè transire possim. Memento mei Domine, qui regnum tuum pœnitenti etiam serò Latroni promittere, ac pro summa clementia tua donare dignatus es. Amen.

## §. *VI.* *ORATIONES.*

### Ad dulcissimam DEI ac nostram Matrem Virginem MARIAM.

LItaniæ Lauretanæ huc apprimè serviunt: item hymnus, *stabat Mater dolorosa*, Ave maris stella, Salve Regina &c. quæ passim habentur.

### Orationes Sæ. Mechtildis.

O Domina mea sancta MARIA, sicut DEUS Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit ità mihi quæso adsis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem. *Ave MARIA.*

O Domina mea S. MARIA, sicut Filius DEI tantâ te cognitione & claritate illustrare dignatus est, ut totum cœlum illumines: ità in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres & corrobores, ut nullo errore aut ignorantiâ pervertatur. *Ave MARIA.*

O Do-

O Domina mea S. MARIA, ſicut S. Spiritus ſuum amorem plenè tibi infudit: itá tu in morte dulcedinem amoris divini inſtilla mihi, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſuaviſsima. *Ave Maria.*

## Ad B. V. *ex Fr. Poirè.*

O Virgo & Mater DEI MARIA, in qua ſunt omnia amoris illicia, cujus cor eſt aſylum omnium peccatorum; quæ me ab infima mea ætate in materna tua bonitate confidere docuiſti: fateor me tibi tot obligationum titulis deberi, ut nulla lingua eas efferre valeat. Tibi ſum acquiſitus tot nominibus, quot momenta ſunt in vita mea. Verùm, ſi unquam tempus aliquod extitit, in quo tuo auxilio & ſolatio indigui, nunc verè eſt, dum nihil aliud expecto, quàm ut citer ad comparendum ante tribunal DEI. Quomodo autem comparere audebo, niſi tuam protectionem obtineo? Heu quid ad omnes accuſationes, quas ſalutis meæ inimici contra me producturi ſunt, reſpondere potero, niſi tu cauſam meam ſuſcipis defendendam? In materna tua bonitate, poſt Salvatorem meum, omnem ſpem ſalutis meæ collocavi. Virgo ſancta, ſi hac vice mihi defueris, de omnibus gratiæ favoribus, quos hactenus mihi præſtitiſti, actum eſt: actum eſt item de anima mea, quæ te plusquam ſe, plusquam vitam ſuam amare deſideravit, & tot præſtare obſequia, quot omnes ſancti ſimul tibi exhibere poſſunt. Si defui, ùt verè defui, officio meo, in deferenda tibi reverentia & amore, quem debebam; en me coram te accuſo, & mihi ignoſci humillimè peto.

Vellem,

Vellem, ut te tantum amâſsem, quàntum tua merita requirunt, & quantum ego potui ac debui. Quare in ſupplementum hujus meæ negligentiæ offero tibi ſinceriſsimos ſenſus, gratiſsimáq; ſervitia, quæ ſancti unquam tibi præſtiterunt atq; obtulerunt. Offero tibi inſuper omnia honoris teſtimonia, quæ honoratiſsimus Filius tuus unquam tibi detulit. Deſidero, ut omnes creaturæ me tibi offerant, & rogo, ut digneris me recipere re & nomine infimæ ſervitutis, cujus tu me intelligis eſse capacem. Deſidero deniq; ut omnes cœlorum incolæ cognoſcant, poſt DEUM, omne id quod ſum, & quidquid unquam futurus ſum, me tibi debere. O Mater amoris, obſecro, nè ſinas, ut dicatur, audiatúrve, te in neceſsitate deſeruiſse animam illam, quæ in tua fidit bonitate, eíq; manum ſubtraxiſse, quâ ſalvari poterat. Dic ſolùm Filio tuo, me unum etiam ex illis eſse, quos de cruce in perſona dilecti Diſcipuli tibi commendavit, & tunc negotium feliciter meum peragetur. Si enim adverterit, te meam ſalutem deſiderare, quidquid pro me ab eo petieris, impetrabis.

Virgo benedicta, ſi aliqui ſunt in cœlo, ( ut eſse innumerabiles non dubito) qui ſpecialiter ferantur ad DEUM laudandum eo nomine, quòd ſingulares gratias & favores tibi ipſe præſtiterit, ô quàm me felicem exiſtimarem, ſi unus ex eorum numero eſse poſsem! ô quàm libenter expanderem omnes cordis mei ſenſus ad te laudandum, & benedicendum illum, qui te talem fecit, qualis es: nimirum coronam ſanctorum, miraculum naturæ, gratiæ & gloriæ, & admirationem

rationem omnium seculorum. O incipiam sincero ex corde dicere: Benedictus venter, qui Salvatorem mundi portavit, & ubera, quæ eum lactaverunt. Fac ô fac per gratiam tuam, ut nunquam hoc finiam canticum: fac, ut quamdiu triumphabis Regina cœli, te Filiam Patris, te Matrem Filii, te sponsam Spiritûs Sancti omnibus possibilibus encomiis celebrem cum beatis clientibus tuis in secula seculorum. Amen.

## Ad B. V. ex Pret. Occupat. p. 325.

O Dulcissima Dei & nostra Mater Virgo MARIA, per pretiosissimam mortem tuam, & illos actus amoris Dei, quos tunc elicuisti, & per omnem misericordiam tuam, quâ ulli hominum succurristi, memento mei nunc, & in hora mortis meæ. Gere curam mei finis, ut tuâ defensione munitus ingrediar beatam æternitatem. Experiar te matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Virgo fidelis ora pro me. In te post JESUM est gratia omnis viæ & veritatis; in te omnis spes vitæ & virtutis. Spiritus Filii tui & tuus, super mel dulcis, & hæreditas illius super mel & favum. Per te accepi gratias, per te reddo gratias: in manus, & per manus tuas commendo & offero spiritum meum Deo meo, ut illum videam & amem, ô amem in æternum. O Jesu, rogo te per Mariam, ô Maria rogo te per Jesum; ô Jesu & Maria rogo vos per SSS. Trinitatem, ô SSS. Trinitas rogo te per amorem, quo Jesum & Mariam, & Teipsam amas, miserere mei, & concede, ut feliciter moriar ad majorem tuam gloriam,

riam, & ex amore tui; ut Te cum JESU & MARIA amem in æternum. Amen.

## Oratio tritiſsima ad B. V.

Quam R. P. Vinc. Carafa à puero ſepties quotidie flexis genibus recitabat. Vitæ l. 2. c. 12. p. 434.

O Domina mea S. MARIA, in tuam benedictam fidem ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, *& in hora exitûs mei*, me, & animam meam, & corpus meum tibi commendo; omnem ſpem meam, & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam, *& finem vitæ meæ* tibi committo: ut per tuam ſanctiſsimam interceſsionem, & per tua merita omnia mea dirigantur opera, ſecundùm tuam, tuiq; Filii voluntatem. Amen.

## Ad B. V. & S. Joannem Evangeliſtam.

O Intemerata, & in æternum benedicta, &c.

## Ad Matrem doloroſam.

INterveniat pro nobis quæſumus Domine JESU Chriſte, nunc, & *in hora mortis noſtræ*, apud tuam clementiam B. Virgo MARIA Mater tua, cujus ſacratiſsimam animam in hora tuæ paſsionis doloris gladius

gladius pertransivit. Per te JESU Christe Salvator mundi. Qui cum Patre.

## §. VII. Orationes ad Angelum Custodem, & sanctos, præsertim Patronos.

HUc referendum S. Angeli Custodis officiolum, cujus Completorium est:

In pugna mortis ultima Adsis mihi fortissimè, Peracta demum fragili Vitâ, Ductor amabilis; Me protinus æthereis Infer benignè sedibus.

Huc item valent Litaniæ Omnium Sanctorum; & illæ, quas Moribundis in Commendatione animæ præorat Ecclesia.

## Oratio ad SS. Patronos.

O Gloriose Spiritus Angele mi Custos, vosq; Beatissimi ceteri cœlorum Incolæ & Patroni mei N. N. quorum singularem protectionem hactenus expertus, confiteor, dum oculis vestris me præsento, magnopere me erubescere, quod tam negligenter in vita mea vos coluerim, tam rarò vestrî memoriam habuerim, tam segniter vobis serviverim, tam obiter, & nullâ seriâ adhibitâ consideratione beneficia à vobis mihi præstita pertransierim. quam meam ingratitudinem mihi ignosci humillimè rogo. Debueram, fateor, tota cordis viriúmq; latitudine propter tot ac tanta beneficia vos honorâsse. At si vestro adjutus auxilio (quo me indignum agnosco) ad societatem vestram

aliquando

aliquando admittar, promitto me in omnem æternitatem promulgaturum beneficia, quibus me vobis devinctum tenetis. Interim bonitatem vestram suppliciter obtestor, ne velitis respicere mea demerita, sed vestro me favore & præsidio, propter communem nostri Salvatoris amorem, & gratias omnes, quas ille vobis contulit, adjuvare. Nunc, nunc inimici mei me circumdant, & summos adhibent conatus, ut me extremæ suæ infelicitatis & miseriæ efficiant consortem. Opponite vos, ah! opponite quæso, perniciosis illorum conatibus, invadite eos, ut victimas æternæ morti destinatas, & ut fugam arripiant, efficite. Custodite omnes animæ meæ potentias, ne ullum ipsis patefaciant aditum. Estote cordi meo loco custodiæ, ne alias admittat cogitationes & affectiones, quàm divinas & cœlestes. Ultimam vitæ meæ horam vobis commendatam habete, & potestatem, quâ apud Deum valetis, ad impetrandam mihi meorum delictorum remissionem ostendite, ac demum gratiam benedicendi vobiscum sanctum ejus Nomen, in congregatione ceterorum Sanctorum omnium, qui illum in omne ævum laudabunt, impetrate. Amen.

## Ad S. Barbaram V. & M.

O Sanctissima Virgo BARBARA, quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi in mortis articulo, obsecro, ut suppedites. Adjuva me miserum, ne in peccatis moriar. Effectum tunc habeat tuâ intercessione primitus à Christo tibi facta promissio, cùm fidem ejus tuo sanguine consectares. Redeat in me-

moriam Sponſo virgineus collo tuo exuberans ſanguis. Recordetur ardentiſsimæ tuæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittat, niſi confeſsione expiatam, & ſacroſancto Euchariſtiæ, atq; Extremæ Unctionis ſacramento munitam. Amen.

## Oratio
### Iconi S. JOSEEHI ſubjecta.

COeleſti nos, quæſumus Domine, famulos tuos protectione defende, ut tibi fideliter ſervientes, in obitu noſtro JESUM, MARIAM, & JOSEPHUM cum ſanctis Angelis tuis mereamur habere præſentes atq; propitios. Per eundem Dominum noſtrum.

## CAPUT II.
# AFFECTUS.
### §. I. Affectus Blaſii Palmæ & Pauli de Barry.

MEdulla devotionis conſiſtit in Affectibus, quibus non tam ore, quàm corde prolatis animus ad Deum erigitur, eidémq; intimè unitur. Quo in genere cùm nihil præſtantius adhuc viderim *Theſauro indeficiente* Blaſii Palmæ, & *Pactis Hagiophilæ* Pauli de Barry, ſvaſerim, ut quiſq; illos Affectus ſibi familiares faciat, magnum inde in morbo & morte ſubſidium habiturus. Vellem, inquies, hîc eſsent in promptu.

promptu. Verùm *non omnis fert omnia tellus*; neq; illos libelli hujusce admisit exilitas & deerat reimprimendi facultas. Feci tamen, quod potui, & paucis versiculis in nucleum redegi omnes; tum futuros usui, siquis cum Deo ita conveniat, ut velit toties à se elicitos esse, quoties versiculos istos piè recitaturus sit. Ceterùm appositus per cifras numerus, paginæ indicat prædictorum *Affectuum*, prout Anno 1683. Pragæ sunt recusi, & Abbati Strahoviensi Hyacintho Hohman in strenam dicati.

## Actus interni Virtutum Blasii Palmæ.

PRincipium & Finis Deus Augustissime rerum Te solum intendo, cogito, specto, volo. ( 1 )
Me nosco & sperno. (25.) Propono. ( 31 ) Gaudeo. (47 ) Credo. ( 3 )
Compatior. ( 45 ) Doleo. ( 28 ) Diligo. ( 7 ) Spero. ( 18 ) Peto. ( 33 )
Offero ( 14 ) do grates. ( 12 ) Laudo. ( 10 ) Delector. ( 20 ) Adoro ( 5 )
Mortifico (37) Adspiro (42) Complaceo (43) Timeo (24)
Castus, (37) Inops (39) Promptus volo vivere (40) Méq; Resigno (16)
Suppleo (46) Zelo animas (22) Tangor honore Tui (22)
Gratulor ( 0) &, bene facta Probo, (47) malè facta Retracto (48)
Respiro quoties, hæc toties repeto. (71)

## Affectus ejusdem ex Attributis divinis.

GAudeo, Magne Deus, quòd sis Quod es ( *eodem libello pag.* 50 ) atq; Benignus (60)
Et Bonus (56) & Sapiens (54) Providus (63) atq; Potens (53)
Sanctus item (58) & Clemens (65) & Justus (68) Metáq; rerum (69)
Te quia non capio, me Deus ipse cape.

## Pacta Hagiophilæ P. Barry.

Distincto libello Pragæ 1682. recusa.

ÆStimo (pag. 8) Credo (19) Flagro (60) Renovo (53) me Sperno (63) Resigno (59)
Compatior (55) Doleo (57) Diligo (24) Spero (21) Sequor (65)
Offero (37) Protestor (39) méq; Unio (66) Dono (47) Recordor (67)
Complaceo (32) Obtestor (44) Gaudeo (10) Laudo (12) Queror (26)
Abdico (49) Do grates (34) Benedico (16) fidémq; reservo (41)
Abnego (51) Commendo (46) Miror (5) Adoro (1) Peto (42)
Langueo (29) Glorifico (14) verbo complector at aino.
Omnia, dum dico corde, vel ore: Deus! (68)

§. II.

## §. II. Affectus P. Gaſparis Druzbicki S. J. Teſtamento incluſi, de quo facta mentio Part. 3. cap.

### 1. Agnitio, Fides, Spes, Amor SSS. Trinitatis.

SAnctiſsima Trinitas, Deus omnium & meus naturalis Dominus ſupernaturalisq; Finis; Te ego in hac & mortis meæ hora agnoſco; à Te ſpero, Te adoro, Te amo, ac æſtimo ſuper omnia, Dignitatiq; Tuæ me devoveo ac devotum facio: quia verè digniſsimus, & ipſa Dignitas es, & quia ego omni ratione ſervus, mancipium, jumentúmq; tuum ſum.

### 2. Dolor, Retractatio peccati, Ratificatio boni.

PEccavi in te Deus meus; hoc eſt peccavi in Eſsentiam, Præſentiam, Potentiam, Bonitatem, Charitatem, Gratiam, Dignitatem, Voluntatem, Sapientiam tuam. Peccavi & in meipſum, totámq; portionem naturæ & gratiæ, à Te mihi datam. Peccavi & in omnem creaturam, mihi ex bonitate Tua perpetuô ſervientem. Peccavi, inquam, ego homo, ego nihil, ego peccatorum primus, peccavi ſuper numerum momentorum vitæ meæ. Doleo, mi DEUS, dolore, quo & quanto dolore me vis, ideò tantùm, quia vis: vellem vitâſse, volo vitare peccata omnia, per vitæ meæ momenta omnia. E contra verô mi DEUS, rata nunc habeo bona omnia, quæcunq; in tota vita

mea, ex Te, circa Te, propter Te habui; ratos habeo pios motus ac ſenſus & actus meos omnes, ſub omni latitudine illorum & ſublimitate, eosdem nunc elicitos à me volo, imò illos, quos poſſum elicio, atq; illos tuæ gratiæ, JESU Chriſti ſanguini, Pretioſiſſimæ Parentis, & omnium Sanctorum meritis adjunctos, Tibi offero, pròq; iis, tanquam tuis donis, Tibi gratias ago.

## 3. Confeſſio & Induitio JEſu Chriſti.

DUlcis JESU Chriſte, DEUS & Redemptor meus, Fili DEI & Hominis: Te agnoſco, credo, amo, vitam, veritatem, viam, pretium meum, amplector ideam vitæ Tuæ, & à me expreſſam cupio. Approprio mihi merita tua omnia & facio illa mea, iiſq; unio & dignifico omnia bona mea. In balneo Sanguinis, Vulnerúmque Tuorum, abluo ac demergo omnia mala mea. Glorior veſte omnium Dignationum tuarum. Includo me & incarcero, ac ſepelio in Theandrico corde Tuo. Inſtanti pretioſiſſimæ mortis tuæ, inſtans mortis meæ unio & commendo, & deniq; totus in totum Te transformari, & indivinari deſidero.

## 4. Gaudium & gratitudo de Bonis DEI ad intra & extra.

GRatulor, & congaudeo tibi mihi DEUS omnia bona, quæ es in omni creatura. Et ago tibi gratias primùm pro omnibus bonis meis, beneficiis Tuis. Deinde ago tibi gratias pro omnibus proximorum,

atq; adeò creaturarum omnium omnibus bonis, partim quia etiam sunt bona mihi in illis: ego enim sum aliquid unum cum illis, & ideò meum bonum est omne beneficium tuum, quod contulisti, confers, & conferes illis. Ob quod ego te amo, & Tibi gratias ago, sicut pro ipso me, ita pro omnibus illis, ut tibi Deo meo nusquam, & nunquam non sim bonus, sicut Tu Deus meus, tam intrà, quàm extra te; tam intrà, quam extra me, mihi es bonus. Ob quam etiam rem, omne omnino bonum profiteor esse Tuum, illúdq; Tibi attribuo tanquam Tuum; & si quod unquam usurpavi mihi, vel ulla creatura usurpavit sibi, id omne totum ego & pro me, & pro omni creatura restituo tibi.

## 5. Invocatio Sanctorum.

VOs in hac hora invoco omnes Angelorum atq; hominum Sanctos Ordines, Dominos atq; Patronos meos; præcipuè verò ac nominatim vos, quibus quacunq; societate associatus fui, quos peculiariter dilexi, quos media prædestinationis habui, quos mihi Patronos ac Sodales divina Providentia dedit: quos nemo nominatim honorat & invocat, quibus in æterna gloria à Dei gloria associandus sum.

## 6. Resignatio in DEI voluntatem.

DEUS meus nihil mihi sum, nihil esse volo, nisi terra sterilis. Me apud Te, & propter Te negligo. In te jactatio mea semper, Tibi ego derelictus á me: paratum cor meum Tibi, paratum cor, & cura mei voluntati Tuæ. Quid de me? Quid me vis pati, aut agere?

agere? Ecce ego præstò sum, Fiat voluntas Tua in me, de me, per me, propter gustum tuum, propter nullum præmium meum. Ecce ego servus Tuus. Da quod jubes, & jube, quod vis. Fac me Tibi in quem vis, in quem scis, in quem potes gustum cordis tui Miserere mei, sicut scis, & vis. Fac mecum voluntatem tuam, ad voluntatem Tuam.

## 7. Amor Pretiosissimæ Parentis & V^is. MARIÆ.

MARIA, Parens Pretiosissima, Domina Mater, Hæres, Hæreditas, Sponsa, amoris mei vita, amor vitæ meæ Tu es: ego autem mancipium, filius, hæres, hæreditas, sponsus, jumentum tuum sum. Agnosco te, agnosco me in hac hora, & in hoc instanti mortis meæ, quod ego unio & commendo instanti mortis tuæ. Ultimum tibi reddo tributum, atq; censum mei, nempe meipsum. fac mecum Tuam, & Filii tui voluntatem, orna me tuis, & Filii tui meritis. Tene me maternis (in quibus me depono, & quibus me SSS. Trinitati præsentari cupio) manibus tuis: non sinas autem mori me, nisi augeas in me amorem tui, parem amabilitati & Pretiositati, Dignitatique Tuæ.

## 8. Sitis DEI & divinorum.

SItio mi DEUS omnitudine meâ amorem & æstimationem Seraphico-Marianam omnitudinis Tuæ. Sitio honorem & gloriam tuam parem tibi. Sitio notitiam JESU Christi, & adæquatam meritis ejus efficaciam

caciam meritorum ejus, in omnibus redemptis ejus. Sitio cruce, stultitiâ, Dignationibus, incessabili amore, Indivinationis gratiâ, sacrificio, Sacramento, Viatico Eucharistico, imitatione, moribus, merito JESU Christi, nihilitatem meam vestiri, saginari, dignificari. Sitio Pretiosissimæ Parentis amorem. Sitio salutem animarum. Sitio Zelum & sitim salutis animarum. Sitio Zelatores salutis animarum & Zelum sitimq; Zelatoribus earum. Sitio deleri & anathema esse pro fratribus meis. Sitio SSS. Trinitatis, & JEsu Christi Humanitatis, Pretiosissimæ Parentis, & cujuslibet Societatis meæ, & universæ Beatorum multitudinis conspectum, consortiúmq; æternum. Sitio autem mihi & omnibus, quibus SSS. Trinitas vult, quia vult. Deniq, sitio & cupio dissolvi, & liberari de corpore mortis hujus. Deus meus cupio. In manus tuas spiritum meum commendo, & reddo.

## Affectus alii.

### Quos idem P. Gaspar voto & juramento Pestiferis serviendi A. 1622. inclusit. Vit. c. 12.

### Deus radices desideriorum exaudi.

1. CRedo sicut S. Ecclesia credit, & credo eam Fidem quam Ecclesia, sancta, Romana docet esse veram, tenendam, divinam: quare in illa, pro illáq; mori tot mortibus, quot possibiles sunt, volo & paratus sum, ac ero.

2. De Justitia, meritis, dignitate mea despero:

ſpero autem in ſola Dei bonitate & gratia, in Chriſti meritis & morte, in Pretioſiſsimæ Parentis Dei & meæ patrocinio, in Communione Sanctorum.

3. Amo & æſtimo DEUM meum ſuper omnia, quæ Deus non ſunt, amo autem gratis, quia ſcilicet Deus dignus eſt; & amo, ut amem.

4. Omnem DEI voluntatem internam, externam, ſubſtantialem ita approbo, ita amo, ita exoſculor, ſicut in ea DEUS ipſe complacet: quod potiſsimùm applico huic voluntati Dei quâ me Deus mori hac præſenti infirmitate, hoc præſenti tempore decernit, ſi decernit.

5. Decretum mortis à divina manu eo animo excipio, quo animo excepit Chriſtus JESUS decretum mortis ſuæ pro me in inſtanti conceptionis ſuæ in Crucis morte. Item eo animo amplector, quo animo excepit Incarnationis expreſsítq; illis verbis: *Fiat mihi, &c.* Pretioſiſsima Dei & mea Mater MARIA. Item eo animo quo vel ego, vel quilibet Sanctorum excipiet in die Judicii illud beatum: *Venite benedicti, &c.*

6. Omnia opera totius vitæ meæ, quanta quanta ſunt, & à quacunq; potentia mea profecta, mala & imperfecta retracto & corrigo ad Dei placitum; bona verò approbo, & rata habeo.

7. Quæcunq; unquam Deo bene propoſui, promiſi, vovi, juravi; ea omnia nunc denuò propono, promitto, voveo, ac juro ad guſtum divinæ voluntatis.

8. Gloriam do Deo, vanitatem do diabolo: mihi purum merúmq; nihil reſervo.

9. Quàm perfectè & omnimodè subjectus fui tunc DEO, quando primùm à DEO in hac rerum natura producebar, & in fieri eram, tam perfectè me nunc adorandæ Dei voluntati subdo, & subdere æternùm volo.

10. Quantùm, & quo motivo DEUS odit peccata mea, tantùm & ex eodem motivo ego detestor eadem.

11. Deum beatificè videre non merui, nec merebor in æternum: cupio tamen videre, & me visurum spero; quia ille me ad hunc finem condidit, redemit, perducere vult, gratiam dat, & merendi per Christi sanguinem, facultatem.

12. Statum Religiosum, quem hucusque tenui, approbo, amplector, & ex nunc ingredior; totiúsq; mundi res & spes, pro Dei amore & servitio calco; Crucisq; Christi probrum omnibus ejus pompis, affectu & animo Ducis mei JESU Christi Crucifixi, præpono & eligo.

13 Si de salute mea æterna certus essem, imò si eam haberem, & placeret Deo, me hîc cum incertitudine salutis vivere, aliquid autem insigne ad Dei gloriam & voluntatem perficere, præeligo hoc posterius illi priori, purè propter gustum Dei, & propter adorandæ voluntatis, gloriæq; æstimationem.

14. Pro omnibus & singulis beneficiis DEI, mihi quomodocunq; in tota vita mea, & ante vitam præstitis, & post vitam præstandis DEO gratias ago, quantas possum, ago quantas debeo, ago quantas Christus pro suis obtulit, quantas Pretiosissima Parens, quantas omnes Sancti obtulerunt aut offerent, quantas divina voluntas ea beneficia conferens, meretur.

15. Etsi

15. Etsi scirem, quòd damnandus sim, Deo servire cum omni, quæ Creatori debetur, servítute vellem, & volo, tantò etiam magis, quantò hoc spatium brevius mihi esset, & hujus tantùm vitæ spatiis clausum.

16. Opto anathema fieri pro fratribus meis, hoc est, proximis, qui Deum nesciunt, qui Deum offendunt, qui negligenter illi serviunt. Opto autem eo sensu & affectu, quo id Moyses, quo Paulus optavit, quo optari ad gustum Dei potest.

17. Doleo de omnibus peccatis, quæ in DEUM quomodocunq; vel à me, vel à quocunq; facta sunt, fiunt, fient unquam, eo affectu, quo Christus de illis doluit.

18. Spiritum meum non alibi, quàm in svavissima Dei Voluntate, JESU Christi latere, Pretiosissimæ Parentis meæ manibus, Ecclesiæ Romanæ Catholicæ fide, Societatis JESU Religione, emittere, atq; deponere exeuntem ex hoc corpore volo, atq; cupio.

19. Cupio toto cordis affectu usq; ad finem mundi in gravissimis laboribus & ærumnis, omnium hominum saluti æternæ deservire, & me ad hunc laborem, ex nunc sanctissimæ DEI voluntati, quæ omnes salvos fieri, vult, humillimè offero, sicut sese Christus Dominus meus obtulit.

20. Hos omnes actus, quatenus à me sunt, agnosco nullius esse apud Deum momenti, sed eos in medullas gratiæ voluntatisq;, & in viscera meritorum & sanguinis Christi immergo, ut valeant.

§. 3. Ad

## §. 3. Ad Christum in crucc morientem. Affectus ejusdem. Vit. c. 19. p. 229.

1. JESU in cruce agonizans & moriens pro me; immitte quæso spiritum tuum in cor meum, illóq; animam meam vivifica; quoniam teste & dante te, tuo solo spiritu vivere volo, tam in hujus præsentis vitæ meæ tempore, quàm in mortis meæ articulo.

2. JESU in cruce agonizans, & moriens pro me; adoro Te adoratione Latriæ debita Majestati tuæ divinæ, insupérq; mori totis viribus cupio, ut motte meâ quàm citissimè & condignissimè agonizantem & morientem Te pro me in cruce, venerer, ac morte meâ, quoad possum, compensem mortem Tuam.

3. JESU in cruce agonizans, & moriens pro me; per hunc agonem Tuum, & per spiritum, quem in manus Patris æterni commendâsti, obtestor Te, ut instans mortis Tuæ influat in mortis meæ instans, illúdq; dignificet, & in conspectu sanctissimæ Trinitatis gratum atq; pretiosum reddat, Instanti igitur mortis tuæ, agoniq; Tuo pretioso instans mortis meæ agonémq; meum humillimè recommendo, repræsento, unio, consecro.

4. JESU agonizans & moriens in cruce pro me, ibidémq; orans pro Crucifixoribus Tuis Patrem, obsecro, ut ores quoq; eundem pro me crucifixore tuo, impetrésq; mihi mortem sanctam, & charitate perfecta consummatam.

5. JESU agonizans, & moriens in cruce pro me, stillantem, tepentémq; amore mei sanguinem Tuum colligo,

colligo, & lambo devotus, optans ſimul ac petens à Te, ut in hora mortis meæ adeſse, mihi præſens cum glorioſa Matre tua ſanctisq; Tuis digneris, adnumerésq; me ſaltem ultimis redemptis & electis Tuis, & in illo decretorio agonis mei momento, ſecundùm magnam miſericordiam, copioſámq; redemptionem Tuam miſerearis mei.

6. JESU agonizans, & moriens in cruce pro me; nullam omnino ſpem ſalutis æternæ aut nunc habeo in vita, aut habere volo proteſtórque in morte mea, præterquam in ſacratiſsimis Vulneribus doloribúsq; Tuis, & in mortis tuæ inſtanti, quo Redemptionem noſtram conſummâſti. O mi JESU, ſit mors tua, vita mea: Mors Matris tuæ dignificet mortem meam: Mors ſanctorum omnium pretioſam coram Te faciat mortem meam.

7. JESU agonizans, & moriens in cruce pro me, Te ego pauperculus ſervus tuus, per Trihorium Agonémq; Tuum, quo cum doloribus mortis in cruce colluctatus es, obſecro, ut te talem in hora mortis meæ cognoſcam, credam, imiter, venerer, diligam, atque corde meo morti ſuccumbente, & ex ſanguinibus labiis meis Te perſonem, invocem, demurmurem; ac laudandi invocandiq; Te conatui ultimatè tandem immoriar.

8. JESU agonizans, & moriens in cruce pro me; cupio, propono, & abs Te peto, ut inſtans ultimum vitæ mortíſq; meæ conſummativum, ſit ardentiſsimus Tui amor, quo cor meum & accenſum igneſcat, & vulneratum immoriatur, & conſumptum incineretur, & concrematum favilleſcat.

9. JESU

9. JESU agonizans, & moriens in cruce pro me, amo te, quàm poſsum ignitiſsimè, & æſtuoſiſsimè, quomodo te etiam amare volo ſtatuóq; in mortis meæ agone, in quo ut cor meum amoris tui ignibus Seraphicis, Marianísq; ac inſuper *Tuis* æſtuet, palpitet, concutiatur ac emoriatur, *Tu* mi JESU, propter agonis mortísq; *Tuæ* inſtans, miſericordiſsimè facito. Amen.

## Conformitas cum voluntate Dei.

DEUS meus, amor meus, abſit, ut quod tu vis, ego nolim, aut quod tu non vis, velim ego. tua voluntas, mea voluntas: imò jam ampliùs mea non eſt, quia tua eſse cœpit, imò tua jam mihi ſequenda eſt, quia mea eſse cœpit. Idem ego velle debeo, quod tu: & verò etiam, ô Domine volo. Vis me ægrotare? volo. vis me depauperari? volo. tabeſcere? volo. doloribus affligi? volo ſolatiis deſtitui? volo. adverſis plurimis exerceri? volo. mori etiam? & hoc volo. Vis me cœlo adſcribere? volo quàm maximè. inferis addicere? Ah bone JESU, ut tu hoc velles, volebam ego & merebar: ut ego hoc nollem, & volebas tu, & merebaris. Atq; ſi fieri poſset (uti ſanè non poteſt) horum alterutrum: aut ſanctiſsimam tuam voluntatem irritam eſse, ut ego beatus ſim; aut me damnatum eſse, ut ſanctiſsima tua voluntas rata ſit, proclamo: Melius eſt damnari me, & ſervari, quod tu vis ô Deus! ſed, ô Bonitas, mortem meam, ſcio non vis; qui Filii tui mortem ideò volebas, ut poſses non velle meam. Per illam ergo Filii mortem te rogo, ô Pater, à morte

æterna

æterna me eripe. En vulnera, en ſanguinem, quo tibi pro me litatum eſt filio nolebas parcere, ut poſses ſervulo. Quia ergo & potes, & vis miſereri, ô immenſa, ô tremenda Majeſtas, miſerere mei, parce mihi, peccavi, negare non poſsum; ſed tu potes condonare, quidquid peccavi. Serva me, Deus, quem creaſti: opus tuum ſum, quod te meum Opificem videre & æternum laudare cupio. Potes quidem inſtar figuli me luteum vaſculum, & ſub ſui auctoris manu parum obſequens frangere, & ( quod pridem meritus ſum ) in flammas abjicere, ſed quia major eſt tua bonitas, quàm malignitas mea; parce Domine, parce, parce, vivam amando te, qui brevi moriar, hoc per ultimum halitum rogando te: MISERERE.

## Aſpiratio ad Cœleſtem Patriam B. Petri Damiani Cardinalis.

AD perennis vitæ fontes mens ſitivit arida, clauſtra carnis præſtò frangi clauſa quærit anima, Gliſcit, ambit, eluctatur, exul frui Patriâ.

DUm preſsuris ac ærumnis ſe gerit obnoxiam, Quam amiſit, dum deliquit, contemplatur gloriam, Præſens malum auget boni perditi memoriam.

NAm quis promat ſummæ pacis quanta ſit Lætitia, ubi vivis margaritis ſurgunt ædificia, Auro celſa micant tecta: radiant triclinia.

SOlis gemmis pretioſis hæc ſtructura nectitur: Auro mundo tanquam vitro urbis via ſternitur; Abeſt limus, deeſt fimus, Lues nulla cernitur.

Hiems

HIems horrens, æſtas torrens, illic nunquam ſæviunt, flos perpetuus roſarum ver agit perpetuum, Candent Lilia, rubeſcit crocus, ſudat balſamum.

VIrent prata, vernant ſata, rivi mellis influunt: Pigmentorum ſpirat odor, liquor & aromatum: Pendent poma floridorum non lapſura nemorum.

NOn alternat Luna vices, Sol vel curſus ſiderum: Agnus eſt felicis Urbis Lumen inocciduum; Nox & tempus deſunt ei, diem fert continuum.

NAm & Sancti quiq; velut Sol præclarus rutilant: Poſt triumphum coronati mutuò conjubilant: Et proſtrati pugnas hoſtis jam ſecuri numerant.

OMni Labe defœcati carnis bella neſciunt, Caro facta ſpiritalis, & mens unum ſentiunt: Pace multa perfruentes, Scandala non perferunt.

MUtabilibus exuti repetunt originem: Et præſentem veritatis contemplantur ſpeciem: Hinc vitalem vivi fontis hauriunt dulcedinem.

INde ſtatum ſemper iidem exeuntes capiunt: Clari, vividi, jucundi nullis patent caſibus: Abſunt morbi, ſemper ſanis ſenectus juvenibus.

HInc perenne tenent *Eſse*: nam *tranſire* tranſiit: Inde vigent, virent, florent, corruptela corruit: Immortalitatis vigor mortis jus abſorbuit.

QUi Scientem cuncta ſciunt, qui neſcire nequeunt: Nam & pectoris arcana penetrant alterutrum: unum volunt, unum nolunt, unitas eſt mentium.

LIcèt cuiq; sit diversum pro labore meritum: Charitas hæc suum facit; quod, dum amat alterum, Proprium sit singulorum, commune fit omnium.

UBi corpus, illic jure congregantur aquilæ, quo cum Angelis & Sanctæ recreantur animæ: Uno pane vivunt cives utriusq; Patriæ.

AVidi & semper pleni, quod habent desiderant: Non Satietas fastidit, neq; fames cruciat: Inhiantes semper edunt, & edentes inhiant.

NOvas semper melodias vox canora concrepat, Et in jubilum prolata mulcent aures organa; Digna, per quem sunt victores, Regi, dant præconia.

FElix, cœli quæ præsentem Regem cernit anima: Et sub sede spectat alta: orbis volvi machinam, Solem, lunam, & globosa cum planetis sidera.

CHriste Palma Bellatorum, hoc in municipium Introduc me, post solutum militare cingulum: fac consortem donativi beatorum Civium.

ADde Vires Laboranti inexhausto prælio, ut feliciter emenso vitæ hujus stadio, Promerear te potiri sine fine præmio, Amen.

## Affectus S. Franc. Xaverii DEUM amantis.

AMo DEUM! sed liberè
Amo! sed hoc amore

Quem corde ſvevit ſcribere,
Qui dignus eſt amore.

Amo! ſed hæc incendia,
Vos aſtra non paratis;
Non appetit ſtipendia,
Qui vult amare gratis.

Non me movet cœleſtibus
Fundata Spes in hortis:
Nec his adurunt æſtibus
Perennis antra mortis.

Amor coëmptus nullus eſt;
Amabo nil petendo:
Amor coactus nullus eſt;
Amabo nil timendo.

Tu, mi Redemptor, horridos
Enecte per dolores,
Tu cor mihi tam torridos
Reſolvis in calores.

Crux, probra, clavi, tubera,
Tot flagra tot cruores,
In corde ſicut ubera.
Hos nutriunt amores.

Iſtis amoris ignibus
Mens tota concaleſcit,
Dum mortis ex inſignibus
Te cognitum ſtupeſcit.

Extingve cœli Lumina;
Adhuc, adhuc amabo:

Extingve ditis flumina;
Adhuc, adhuc amabo.

Spes nulla sit si diligam;
Adhuc, adhuc amabo:
Styx nulla, si non diligam;
Adhuc, adhuc amabo.

Nil das? adhuc amaberis:
Spes nulla me titillat:
Damnas? adhuc amaberis,
Nec sic amor vacillat.

Ruente cœli Lumine,
Orcóq; deflagrante,
Manente solo Numine,
Amabo, sicut antè.

# CAPUT III.

## *Preces jaculatoriæ, sive Aspirationes.*

DIfficile est & durum ab ægrotis longas Preces exigere. Breves illis maximè conveniunt, eóq; usurpandæ ferventiùs, quò dolor acriùs vexat. Neq; necesse est omnes simul vel linguâ vel animo volvere, una sufficit, quæ si ex sincero animo & sæpius proferatur, magnum infirmo robur, solatiúmq; adferet, cumulabit merita, illúmq; DEO conjunget. Multas hîc tamen, & varias ejusmodi Affectuum formulas subjicimus, ut, cùm eis bene valentes eliciendis assveverimus,

mus, ægrotis quoq; & moribundis in promptu esse possint.

## §. 1. *Aspirationes Fidei.*

CRedo & confiteor Fidem illam sanctissimam, quam Christus Salvator meus docuit, Apostoli prædicârunt, quam sancta Romana tenet Ecclesia.

*Agnosco, Deus meus, lumine fidei, quòd sis Dominus meus, & supernaturalis ultimus Finis meus.*

Credo, mi Deus, quia es, & quia Remunerator es: & morior in adoratione latriæ SSS. Trinitatis.

*Trinitatem in unitate, & Unitatem in Trinitate corde credo ad justitiam, & ore confiteor ad salutem.*

In vera, Catholica, & Apostolica Fide desidero, vivere & mori.

*Desidero hanc Fidem per totum orbem terrarum quàm amplissimè dilatare.*

Utinam haberem fidem omnium Apostolorum, & omnium Martyrum!

*Utinam omnium Martyrum tormenta pro hac Fide possem sustinere.*

Credo Domine: sed adjuva incredulitatem meam.

*Credo quidquid in Symbolo Apostolorum, in Symbolo S. Athanasii, in Symbolo Nicæno, in Professione Fidei Tridentina credendum proponitur: & hanc veram Catholicam Fidem integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè,*

*Deo adjuvante, me velle retinere & confiteri spondeo, voveo, ac juro!*

Credo, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo Die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum, quem visurus sum ego, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.

*Domine etiamsi me oportuerit mori tecum, gratiâ tuâ (quam peto) adjutus, non te negabo.*

Dulcissimam DEI & nostram Matrem Virginem MARIAM absque originalis peccati macula Conceptam esse piè credo, teneo, & assero. (*Quod si quando tuendæ Immac. Conceptionis voto te obstrinxisti, adde*) méq; publicè ac privatim velle piè tenere & asserere spondeo, voveo, ac juro; donec aliter à sede Apostolica definitum fuerit.

*Credo Pater æterne, quidquid de Te, & Filii tui æterna Generatione, rerúmq; omnium visibilium & invisibilium creatione, & omnibus circa Te mysteriis credit & sentit sancta Mater Ecclesia.*

Credo Fili Dei, quidquid de Te, ut DEO & Homine, & humani generis Redemptione, & omnibus circa Te mysteriis credit & sentit S. Ecclesia.

*Credo Spiritus Sancte, quidquid de tua à Patre & Filio Processione, & omnibus circa Te Mysteriis credit & sentit S. Mater Ecclesia.*

## §. 2. Spei.

SPero in abyssis infinitæ misericordiæ tuæ, ô mi DEUS!

Spero

*Spero in omnipotentia tua Pater æterne: quia potes me salvare.*

Spero in tuo pretiosissimo Sanguine, tua Vita, Passione & Morte, JESU amantissime: quia hæc omnia impendisti, ut me salvares.

*Spero in tua dulcedine, bonitate, & benignitate Spiritus S. Deus: quia vis me salvare.*

Spero in tuo Patrocinio, ô Peccatorum Scala, & maxima mea post Deum fiducia, ô MARIA.

*Spero in vestro auxilio & intercessione Omnes Sancti & Sanctæ Dei. Spero, dum spiro!*

Domine, etiamsi peccata totius mundi haberem, adhuc in Te sperare vellem.

*Domine major est Misericordia tua, quàm iniquitas mea: Major Bonitas tua, quàm mea malitia. Miserationes tuæ super omnia opera tua!*

Domine DEUS meus, tu es Spes mea ab uberibus matris meæ: in te projectus sum ex utero: in manibus tuis sortes meæ: in te speravi, non confundar in æternum.

*Misericordias Domini in æternum cantabo: Si mater aliqua obliviscatur infantem uteri sui: tu tamen, Domine, mei non obliviscêris.*

Etiamsi me occideris, in te sperabo Domine.

*Quæ est Expectatio mea, nonne Dominus?*

Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab expectatione mea.

*Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.*

Ad te levavi animam meam, Deus meus, in Te confido, non erubescam.

*Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Miſericordiæ tuæ Domine, non eſt numerus: & bonitatis tuæ infinitus eſt theſaurus.

*Deus, cujus proprium eſt miſereri ſemper, & parcere; parce peccatis meis, & miſerere mei.*

Magno pretio redempti ſumus!

Rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

*Non venit Redemptor meus, non venit vocare Juſtos, ſed Peccatores, quorum primus ego ſum. Venit quærere, & ſalvum facere, quod perierat.*

Impium te, ô homo, quæſivit DEUS, ut redimeret; an ergo redemptum deſeret, ut perdat? S. Aug. in pſ. 66.

*Conſerva me Domine, quoniam ſperavi, ſpero, & ſperabo in te.*

Melior eſt miſericordia Domini ſuper vitas.

*JESUS meus priùs me dilexit, quàm ego eum diligerem. Jam igitur cùm eum diligam, is me non deſeret, non deſeret, non deſeret. Avila ep. 3.*

## §. 3. Charitatis.

DIligo te, Domine JESU Chriſte, plùs quàm me: quia tu creâſti, redemiſti, & dotâſti me.

*Da hoc nobis, Domine, ut te ſuper omnia; Proximum autem noſtrum propter te, ſicut nos ipſos ſincerè diligamus.*

Utinam te poſſem amare illo amore, DEUS, quo

quo te amârunt, amant, & amabunt omnes Angeli & Beati in cœlis, omnes Juſti & Electi in terris.

*O ſi omnia mea ſuſpiria non ſint niſi divini amoris jacula! O ſi omnes cordis mei motus, eſſent divinæ charitatis intenſiſſimi actus!*

JESU! amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori!

*Amorem tui ſolum, Domine, cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultrà poſco. S. Ignatius C.*

Domine, tu nôſti omnia, tu ſcis quia amo Te.

*Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Gratiâ tuâ adjutus Domine, certus ſum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; Virtutes; neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro. ad Rom. 8.*

Quis mihi hoc tribuat, mi JESU, ut ego moriar pro te, & expirem in te, & reſpirem per Te!

*Accende Domine, in medio cordis mei flammam amoris tui beatiſſimi. S. Phil. Nerius.*

Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & nova, ſerò te amavi. Væ tempori illi; quo te non amavi! S. Auguſt.

*Deus meus, amo te: & ſi parum amo te, da ut amem validiùs.*

Rogo te, Domine JESU, ut vel Fidei Martyr

moriar, vel certè martyr charitatis. Ardeam divini amoris incendio, & desiderio Tui extinguar.

*Da mihi, mi Deus, ut plus amem te, quàm unquam sis offensus à me, vel ab ulla creatura.*

O Deus! ego amo te, non ut in cœlo salves me: Aut ne æternùm damnes me, nec præmii ullius spe: sed sicut tu amâsti me, sic amo, & amabo te, solùm quia Rex meus es, Et solùm quia Deus es. S. Xaver.

*Hæc est mors Sanctorum, expirare amando, & amare expirando. Utinam sic amem, & exspirem!*

Aut pati, amore tui desidero, Deus, aut mori.

*Moriar Domine, ut amem te: & amem, ut moriar. O sim holocaustum amoris tui, Deus!*

Ah quàm velim tanto erga Deum amore ardere, quanto amore digna est illa tanta Majestas! B. Aloysius Vit. l. 1. c. 16.

*Tuo amori, honori tuo, amabilis Deus, animam hanc meam, vitam hanc meam, tui amoris igne sacrificio. Sit ista tibi oblatio munda, sit sacrificium incruentum, cruento illi Filii Tui morientis sacrificio conjunctum: sit holocaustum in odorem suavitatis æternæ, cum JESU, & per JESUM, Tibi, & propter Te, Pater Æterne, Deus.*

Toto me, toto Te, amo Te, mi Deus. Amo, quia amo, & amo, ut amem. Amo Te, quia Es, qui Es; & ut sis, Qui es.

## §. 4. Contritionis.

DEus meus, cùm tu sis infinitè dignus omni amore, & servitio, siquidem tu es, qui es; doleo quantùm

possum

possum maximè, de omnibus meis peccatis, illáq; detestor super omnia mala: peto humillimè veniam, facióq; firmissimum propositum, nunquam offendendi tuam, bonitatem in æternum. Tibi soli peccavi, miserere!

*O me omnium mortalium ingratissimum, Deus! Tu fecisti mihi omnia bona, ego tibi feci omnia mala. Tu certásti mecum beneficiis, ego tecum peccatis.*

Hæccine reddidisti anima mea stulta & insipiens, hæccine reddidisti Domino, pro omnibus, quæ retribuit tibi?

*Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Magnam misericordiam tuam imploro, quia magnam iniquitatem meam agnosco.*

Secundum magnam misericordiam tuam memento mei Tu, propter bonitatem tuam Domine.

*Ne projicias me, Domine, à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum non auferas à me.*

Si hinc Peccati pudorem, illinc cernerem Inferni horrorem, & necessariò uni illorum deberem immergi; priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum committerem.

*Delicta juventutis meæ, & ignorantias ne memineris Domine.*

Ab occultis meis libera me Domine, & ab alienis parce servo tuo.

*Domine miserere mei. Sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Malo millies mori, quàm peccato fœdari.

*Protestor me non consentire, neq; consensurum, unquam*

*unquam in ullam rem, quæ fiat cum offensa divinæ Majestatis tuæ, Domine Deus meus.*

JESU amantissime, Téne ego ausus sum flagellis cædere, spinis coronare, clavis configere, pedibus conculcare, morte afficere?

*O Crucifixe JESU, ego, ego causa tui doloris, ego culpa tuæ occisionis. Ego rapui, & tu exolvebas!*

Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte quia peccavi nimis in vita mea.

*Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit?*

Non intres Domine, in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

*Peccavi Domine! Exue Personam Judicis, & indue Patris.*

Sit sanguis tuus, Domine JESU, spongia peccatorum meorum.

*O quantum bonum perdidi, dum in peccatum cecidi!*

Amo te, mi Deus, volóq; tibi bene super omnia: quia divina tua Majestas ita meretur. Et ideò doleo, quòd te offenderim, super omnia; quia tua Majestas id non merebatur.

*Quia plasmâsti me, miserere mei.*

Deus propitius esto mihi peccatori.

## §. 5. *Actus adorationis.*

ADoro Te SSS. Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, Tres Personæ, & unus Deus.

*Adoro*

*Adoro Te infinita Dei mei Majestas, & Fontem bonorum omnium agnosco.*

Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te: gratias agimus Tibi propter magnam gloriam tuam, ô Beata Trinitas.

*Adoro te Patrem Ingenitum, Filium Unigenitum, Spiritum S. Paraclitum, unum solum, verum, æternum, incommutabile Bonum, Deum meum.*

Adoro te, Deus, Creatorem meum, infinito amore, honore, & servitio dignissimum.

*Deus meus, spes mea, amor meus, lumen meum, vita mea, gaudium meum, omne bonum meum, adoro te.*

Dejicio me in abyssum mei nihili, sub conspectu divinæ Majestatis tuæ; Tibiq; illum honorem, quem creatura exhibere potest, defero, ô beata Trinitas!

*Sanctissimam Virginem Mariam, cum Angelis & Beatis omnibus, & omnibus creaturis ratione præditis ad Te adorandum, colendum, & honorandum, & amandum invoco, Deus meus, ô beata Trinitas.*

Te JESU amantissime, ut Dominum, Patrem, Magistrum, Redemptorem meum adoro.

*Adoro tuum dulcissimum nomen Domine JEsu Christe, & intimè desidero, ut nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Omnis terra adoret te & psallat tibi Domine JESU Christe.*

Adoro tua sacratissima vulnera in manibus, pedibus & latere impressa Domine JESU Christe.

*Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum profundissimè*

*fundissimâ humilitate adoro, millièsq; & millies proclamo: Laudetur, adoretur, glorificetur sanctissimum Sacramentum.*

## §. 6. Gratiarum actionis.

GRatias tibi ago Domine Deus meus, quòd me de nihilo creare ad imaginem & similitudinem tuam, & æternæ beatitudinis capacem efficere dignatus es.

*Gratias tibi ago, Deus amantissime, quòd me hucusq; conservare, & ab innumeris animæ corporísq; periculis defendere dignatus es.*

Gratias tibi ago Domine JESU Christe, nunc & semper, ex toto corde, & ex omnibus viribus meis, quòd propter nos humanitatem asumere, nasci, cum hominibus conversari, & propter nostram salutem pati & mori dignatús es.

*Gratias tibi pro ago institutis, nobísq; relictis sanctis Sacramentis, præsertim adorando SS. Eucharistiæ Sacramento.*

Gratias tibi ago Domine Deus meus, quòd me ad baptismum, & agnitionem veræ Catholicæ fidei perducere dignatus es.

*Gratias tibi ago misericordissime Deus, quòd me peccatorem tamdiu tolerare, & tam paternè ad te revocare dignatus es.*

Gratias tibi ago benignissime Deus, quòd me ad tibi serviendum in statu Religioso vocare, eligere, perducere, in eóq; ad hoc usque tempus conservare dignatus es.

*Gratias tibi ago, clementissime Deus, quòd mihi toties*

*toties peccata mea multa & gravia, quibus æternas pœnas promerui, parcere dignatus es.*

Gratias tibi ago, Providentissime Deus pro omnibus animæ & corporis adversitatibus, quibus me totâ vitâ probare & paternè castigare dignatus es.

*Gratias tibi ago, amabilissime Deus, pro universis beneficiis, quæ SS. Humanitati JESU Christi, Virgini Matri, Angelis, Beatis, Electis, & Reprobis, & inimicis meis omnibus, & toti mundo conferre dignatus es.*

Gratias tibi ago dulcissima mea Mater & Virgo Maria, quòd me hucusq; maternâ tua pietate fovere; Tibi S. Angele Custos, quòd me fideliter custodire; Vobis ô Sancti Dei, quòd pro me apud Deum intercedere voluistis.

*Gloria tibi Domine de rebus omnibus.*

*S. Chrysost. expirans dicebat. Nicephor. l. 13. c. 37.*

## §. 7. *Affectus Oblationis.*

OFfero tibi, Deus dignissime, corpus & animam cum omnibus potentiis ejus.

*Offero tibi meipsum totum; paratus mortem amarissimam potiùs subire, quàm tuam Majestatem in minimo offendere.*

Offero, dono, trado me tibi totum, Deus amantissime, fons & scaturigo omnium bonorum. Et ideò nolo habere oculos, nisi ad te videndum; neq; aures, nisi ad te audiendum; neq; linguam, nisi ad loquendum de te; neque cor, nisi ad te amandum; neque memoriam, nisi ad recordationem tuæ dulcedinis;

neq;

neq; intellectum, nisi ad agnitionem tuæ Majestatis; neq; manus, nisi ad tuum obsequium; neque pedes, nisi ad te inveniendum; neq; corpus, nisi tibi ad victimam; neq; vitam, nisi tibi in sacrificium.

*Offero tibi DEUS, omnes cogitationes, verba, & opera ad majorem tuam gloriam.*

Offero tibi, Domine, vitam meam, quam pro fide Catholica, si tibi placeret, vellem libenter profundere.

*Offero tibi Dignissime Deus, omnes laudes cultum, honores, gratiarum actiones. quæ Tibi ab omnibus creaturis unquam delatæ sunt, aut deinceps deferentur.*

Offero tibi, Pater æterne, vitam, Passionem, & mortem, & sanguinem & merita Filii tui Domini nostri Jesu Christi pro mea & totius mundi salute.

*Offero tibi omnes dolores, afflictiones, & molestias meas, unitas cum molestiis & doloribus Domini nostri JESU Christi, ad majorem tuam gloriam.*

## §. 8. Gaudii Spiritualis.

GAudeo Deum esse, quod est.

*Gaudeo Deum esse unum in Essentia, & Trinum in Personis.*

Gaudeo Deum esse infinitè potentem, sapientem, bonum, Sanctum, Misericordem, Justum.

*Gaudeo Deum á nulla creatura comprehendi posse.*

Gaudeo, quòd Deus à seipso comprehendi, amari, æstimari sufficienter possit.

Gaudeo

*Gaudeo Deum à seipso esse beatum, & fontem esse omnis beatitudinis.*

Gaudeo de infinita Dei sanctitate, gloria, beatitudine, & infinitis Perfectionibus.

*Gaudeo de omnibus bonis & gratiis, quas Æternus Pater Humanitati Christi, B. Virgini & omnibus Electis suis contulit.*

Gaudeo de complacentia, quam Pater æternus in Filio suo, & animabus Justorum, & Peccatorum conversione habet.

*Gaudeo, quòd Deum omnes Sancti & Electi ejus ament, laudent, glorificent; & amaturi, laudaturi, & glorificaturi sint in æternum.*

## §. 9. *Affectus Patientiæ.*

AUge Domine, auge dolores: sed auge & Patientiam.

*Aut pati pro te, Deus, aut mori desidero!*

Subjecta esto DEO, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Expecta Dominum, viriliter age, & sustine Dominum.

*Tu es Patientia mea, Domine Deus meus.*

Noli putare, anima mea, te à Deo esse derelictam. Patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius. 2. Mach. 7.

*Domine, qui habes Scientiam, manifestè tu scis, quia duros corporis sustineo dolores. Secundùm animam verò propter amorem tuum libenter hæc patior. 2. Mach. 6.*

Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

*Per patientiam, anima mea, curramus ad propositum nobis certamen.*

Domine JESU, ecce quem amas, infirmatur.

*Peccavi! digna factis recipio. Et priusquam humiliarer, ego deliqui.*

Domine hîc ure, hîc seca, modò in æternum parcas. Pati, non mori!

*Nolo, Domine, nolo vivere sine vulnere: quando te video pro me vulneratum.*

Pudeat sub spinoso capite membrum esse delicatum.

*JESU Patientissime, miserere mei. Conjungo dolores meos doloribus tuis.*

Domine, tu me percute ego Psalmum dicam: Miserere!

*Malo hos dolores pati, quàm esse Angelus, quàm esse Archangelus: quia patiendo Christum imitor, quod Angeli non possunt.*

Domine fer opem super lectulum doloris mei: universum stratum versa in infirmitate mea. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

## §. 10. *Actus Resignationis.*

SIcuti tu scis ac vis, ita fac mecum Domine. Domine, in omnibus, non mea voluntas, sed tua fiat.

*Fiat voluntas tua, Pater, sicut in cœlo, & in terra: sicut in anima, ita & in corpore.*

Quid ego velim, aut quid volo extra te? Tu Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

*Utinam videam in me perfectissimè adimpleri voluntatem Dei.* Nihil

Nihil volo, nisi quod tu vis: nihil nolo, nisi quod tu non vis, ô DEUS!

*Domine, si me vis esse sanum, sis benedictus; si infirmum, sis etiam benedictus. Si me vis diutiùs vivere; sis benedictus: si citiùs mori, sis etiam benedictus.*

Non mea voluntas Pater, sed tua fiat. Nec quod ego volo, fiat, sed quod tu: nec sicut ego volo, fiat, sed sicut tu.

*Domine, nec vivere renuo, nec mori detrecto. Si Proximis tuis sum utilis, aut necessarius, non recuso laborem. Fiat voluntas tua.*

Sanctissima tua voluntas, Domine, est mea limpidissima voluptas.

*Sanctissimam voluntatem tuam meæ sanitati, vitæ meæ, meis meritis, ipsi cœlesti gloriæ antepono, mi Deus!*

Paratum cor meum Deus, ut vivam: paratum, ut moriar. Fiat voluntas tua. Tuum est jubere, meum obedire.

*Sicut fuerit voluntas Dei in cœlo, sic fiat.*

Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat.

*Domine JESU, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.*

Domine, quid me vis facere? quid pati; Fiat, fiat sanctissima, justissima voluntas tua.

*Nunc Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum, expedit enim mori magis, quàm vivere. Tob. 3.*

Domine, si vis, potes me sanare. Fiat voluntas tua.

*Da mihi, Domine Deus meus sanctissimæ voluntatis tuæ agnoscendæ, & perfectè adimplendæ gratiam.*

Da Domine, ut sim vir secundùm cor tuum, qui faciam omnes voluntates tuas.

*Domine, quidquid vis, quamdiu vis, quomodo vis, ita fiat. Fiat voluntas tua.*

Fiat Domine sanctissima tua voluntas de me, in me, per me, circa me, & circa mea omnia, in vita, in morte, in æternitate.

## §. II. *Desideria cœlestis patriæ.*

P. Gaspar Druzbicki S. J. ita suspirabat.

*Vitæ c. 19. pag. 226.*

O Cœlum, toto me desidero te!

*O cœlum cœli toto me festino ad te!*

O Domus Dei, quando inhabitabo te?

*O terra viventium, quando vivam in te?*

O Patria! quando revertar ad te?

*O Civitas Dei, quando ero Civis tuus?*

O templum Dei, quando visitabo te?

*O tabernaculum admirabile, quando ingrediar Te?*

O visio pacis, quando pacificabor in te?

*O Portus, quando tenebo te?*

O bravium, quando apprehendam te?

*O Sion! quando videbo Deum deorum in te?*

O requies opulenta, quando ditabor in te?

*O fons vitæ perennis, quando sitim meam extinguam in te?* O beata

O beata æternitas, & æterna beatitudo, quando perennabo in Te?

*O Meridies, quando meridiabor in te?*

O gloria Domini quando apparebis, ut ſatier in te?

*Cupio diſsolvi & eſse cum Chriſto.*

Educ Domine de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Me expectant Juſti donec retribuas mihi.

*Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

*Unam peti, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus.*

Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.

*Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

*Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.

*Domine dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſseſsionis ejus!

*Melior eſt dies una in atriis Domini ſuper millia.*

Credo, ſpero, & intimè deſidero videre bona Domini in terra viventium, in terra te videntium, & amantium, DEUS.

*Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: multùm incola fuit anima mea.*

O quando tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad Domum Dei?

*Quàm ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio!*

Deſidero te millies, mi JESU quando venies, me lætum quando facies, ut tuo vultu ſaties.

*Dimitte me Domine ſervum tuum in pace: ut videant oculi mei ſalutare tuum.*

O quando veniet hæc beata & deſiderabilis hora, ut tuâ me ſaties præſentiâ, & ſis mihi omnia in omnibus?

*Voca me Domine, ut videam te, & in æternum potiar te. Jube me venire ad te, ut cum ſanctis tuis laudem te.*

JESU mi bone ſentiam amoris tui copiam; da mihi per præſentiam, tuam videre gloriam.

*Satiabor, Domine, cùm apparuerit gloria tua.*

Ibi mea fixa ſunt vota ubi vera ſunt gaudia.

*Eja Domine, moriar, ut te videam: videam, ut hic moriar. Mori deſidero, ut videam Chriſtum; vivere renuo, ut vivam cum Chriſto.*

O felicitas mea, quando ſublatis omnibus impe-

dimentis

dimentis me tecum unum ſpiritum facies, & tibi inſeparabiliter agglutinabis ?

*O dilecte mi, quem ſolùm quæro, quando mihi pulſanti & gementi aperies? quando te ipſum mihi manifeſtabis, & dices: Salus tua ego ſum? quando me totum in te rapies, abſorbebis, & abſcondes?*

## §. 12. *Aſpirationes ad Crucifixum.*

HOrâ mortis meus flatus, Intret JESU tuum latus; In hac foſsa me reconde, Meum ibi cor abſconde.

*Domine JESU Chriſte Fili Dei vivi, pone Paſſionem, crucem, & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam.*

Domine JESU Chriſte, dum veneris judicare noli me condemnare.

*Obſecro te, Domine JESU Chriſte per quinque Vulnera tua, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit, ſubveni mihi famulo tuo, quem pretioſo ſanguine redemiſti.*

Reſpice, Domine JESU, poſitam in anguſtiis animam meam, pro qua non dubitâſti manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum.

*Ave lignum crucis, ave crux pretioſiſsima; me tibi totum dedico in perpetuum.*

Inter brachia Salvatoris mei, & vivere volo, & mori cupio.

*Rex tremendæ Majeſtatis qui ſalvandos ſalvas gratis, ſalva me fons pietatis.*

Quærens me ſediſti laſsus, Redemiſti crucem paſsus, Tantus labor non ſit caſsus.

*JESU quem in cruce hîc aspicio, Oro fiat istud, quod tam sitio, ut te revelatâ cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ.*

Intrà vulnera tua absconde me, ô bone JESU exaudi me. Confirma me in hac hora!

## §. 13. *Aspirationes ad B. V.*

MAria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

*Mater Dei memento mei!*

Opitulare Domina! Domina non opitulaberis? Monstra te esse Matrem!

*Consolatrix afflictorum ora pro nobis.*

Salus infirmorum, ora pro nobis.

*Refugium peccatorum! ora pro nobis.*

O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria, nobis post hoc exilium JESUM benedictum ostende.

*MARIA tuo filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.*

In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum, totam vitam meam, & diem ultimum meum. S Bonav. psal. 30.

*Vide Domina, quoniam tribulor: expande manus tuas, succurre pereunti. Ne moreris propter gratiam nominis tui, ut efficiaris mihi in gaudium & salutem. Psal. 70.*

In manu tua salus & vita consistunt, lætitia perpetua, & æternitas gloriosa. Resperge cor meum dulcedine tua. Psal. 71.

*Fac Domina ut vivamus in gratia Spiritûs Sancti,*

*Sancti, & perduc animas nostras, & introduc nos in requiem æternam. Ps. 94.*

Gloriosum & admirabile est Nomen tuum, MARIA, qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis. Psal. 110.

*In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina & suscipe eam. Esto illi scala ad regnum cœlorum. Psal. 113.*

Pia Mater, & humilis, naturæ memor fragilis, in hujus horæ fluctibus, nos rege tuis precibus.

## §. 14. *Ad Angelos, & Sanctos.*

S. Michaël Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

*Angelus nostræ Medicus salutis, Adsit è cœlo Raphaël, ut omnes sanet ægrotos dubiosq; vitæ dirigat actus.*

In pugna mortis ultima adsis mihi fortissimè, peractâ demum fragili vitâ ductor amabilis, me protinus æthereis infer benignè sedibus.

*Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines, orate pro nobis.*

Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis.

*Omnes Sancti Patroni mei, estote Custodes animæ meæ nunc, & in hora mortis.*

Omnes Sancti, SSS. Trinitati, Venerabili Sacramento, Et Beatissimæ Virgini singulari olim pietate addicti, Estote Custodes, &c.

*Omnes Sancti Innocentes, Pœnitentes, & à*

*quibus aliquod beneficium unquam accepi, Estote custodes animæ meæ, nunc & in, &c.*

Omnes Sancti, quibus in morte Christus, vel B. Virgo, vel Sanctorum, aut Angelorum aliquis comparuit, Estote Custodes, &c.

*Omnes Sancti, qui aliquando morientibus adfuistis, Estote Custodes, &c.*

Omnes Sancti, qui ad beatam vitam sine Purgatorii pœnis transivistis, Estote &c.

*Omnes Sancti, quos unquam in vita aliquo pietatis genere colui; de quibus aliquid legi, dixi, scripsi, aut in quorum honorem aliquid egi.*

Omnes Sancti multa pro Deo passi, & diuturnis gravibúsq; morbis afflicti, Estote, &c.

*Omnes Sancti cœlestibus in morte deliciis à Deo singulariter cumulati, Estote, &c.*

Omnes Sancti, Christo Patienti, & Matri Compatienti singulari pietate addicti, Estote Custodes animæ meæ, nunc, & in hora mortis.

*Omnes Sancti in cultu Immaculatæ Conceptionis B. V. & S. Josephi in vita eximii.*

Omnes Sancti eodem morbo, ex quo ego laboro, mortui, Estote custodes animæ, &c,

*Omnes Sancti quorum Reliquiæ in nostro Templo, & toto orbe terrarum coluntur.*

Omnes Sancti eodem die, quo ego ex hac vita migrabo, defuncti, & felici æternitate à Deo donati, Estote custodes animæ meæ, &c.

*S. P. Ignati cum omnibus in cœlo filiis tuis, fratribus meis & tota cœlesti Curia triumphante; omnes item*

*item Purgatorii animæ Deo dilectæ, & ad æternam felicitatem prædestinatæ, Estote Custodes animæ meæ nunc, & in hora mortis meæ, & omnium, qui eodem die mecum morituri sunt, & Deum in æternum laudaturi.*

# Caput IV.

## *Quæstiones ægrotis proponendæ.*

DEus est, cui sola voluntas loquitur, & animi nutibus cordis secreta panduntur. Quare si æger usque adeò fractus est, ut prædictos *affectus* etiam paucis verbis contentos elicere difficulter possit, *Quæstionibus* modò proponendis, svaviter, & per intervalla (nè importunitate fatigetur) adjuvandus erit: quibus si vel uno verbo, vel nutu, vel signo voluntatis assensèrit, tantundem præmii apud DEUM merebitur, quantum si affectus vel preces longo verborum ambitu circumscriptas funderet.

*Observandum* hic autem, *cujus statûs* æger sit, & pro conditione illius *Quæstiones* illi proponendæ. Juverit præterea, quod toties monui, & iterum moneo, ut quamdiu quisq; sanus est, ejusmodi Quæstionibus seipsum conveniat, & ad eas respondeat sibi, ut penitius illas penetrando, cùm ipse quoq; inter moribundos reputari cœperit, iisdem uti faciliùs, séq; ad obeundum alacriùs præmunire possit.

*Quæstio-*

## *Quæstiones.*

1. CHarisſime Frater appropinquat hora, quâ transſeas ex hoc Mundo ad cœleſtem Patrem, & Spiritum illi tuum, à quo accepiſti, reddas. Quo nuntio non modo nihil turbari, ſed maximo etiam ſolatio affici debes, quòd te Divina bonitas per hanc infirmitatem mortis præmoneat, ſpatiúmq; concedat, ut te poſsis ad piè feliciterq; moriendum diſponere. Quæ diſpoſitio cùm potiſsimùm in ſuſceptione Sacramentorum conſiſtat, visne *Sanctis* hiſce *Sacramentis muniri!* peccata confiteri? Sanctiſsimum Viaticum ſuſcipere? Extrema unctione ungi? ℟. *Volo.*

2. Nunquid *credis*, quidquid credit, aut credendum præcipit Sancta, Romana, & Apoſtolica mater Eccleſia? ℟. *Credo.*

3. Visne mori, ut verum, & vivum JESU Chriſti membrum, & verus filius Sanctæ Matris Eccleſiæ? ℟. *Volo.*

4. Vellésne ſi DEO ità placuiſset hanc mortem in conteſtationem fidei, per martyrium, & extremos cruciatus inter barbaros, & infideles, DEI gratiâ adjutus, ſubire? ℟. *vellem libentiſsimè.*

5. Nunquid *ſperas* per infinitam miſericordiam, per vitam, Sanguinem, Paſsionem & mortem D. N. J. Chriſti, per Patrocinium B. V. MARIÆ, & per omnium Sanctorum interceſsionem, te vitam æternam certò conſecuturum? ℟. *Spero.*

6. Nunquid *amas* DEUM ex toto corde tuo, ex tota

tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis? ℟. *Amo.*

7. Nunquid *desideras* in amore, & ex amore erga Deum purissimo mori? ℟. *Desidero.*

8. Nonne desideras amare Deum amore, si fieri possit, omnium Angelorum, Beatorum, & amore omnium justorum? ℟. *Desidero.*

9. Si neq; Cœlum, neq; infernus existeret, nunquid tamen DEUM ex toto corde super omnia diligere velles? ℟. *Vellem.*

10. Nunquid ex amore DEI sincerissimè doles, quòd Divinam Majestatem omni honore dignam graviter offenderis? ℟. *Doleo.*

11. Nunquid velles si posses, Pœnitentium omnium, præsertim Sancti Prophetæ Davidis, S. Petri, & S. Mariæ Magdalenæ lachrymis peccata tua deflere? ℟. *Vellem.*

12. Dic, Charissime, non tam ore, quàm corde sincerè cum S. Davide: *Nè projicias me Domine à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.* Et cum Publicano: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et cum Filio Prodigo: *Pater peccavi in cœlum, & coram te. Non sum dignus vocari filius tuus!*

13. Nunquid has omnes, & singulas infirmitatis molestias, dolores, puncturas, tædia, desolationes de manu DEI te castigantis gratanter acceptas? ℟. *Accepto.*

14. Nónne DEUM Vitæ, & necis Dominum agnoscis, & adoras? ℟. *Agnosco, & adoro.*

15. Nónne latam à DEO in te, & Universum genus huma-

humanum mortis Sententiam libenter acceptas? ℟. *Accepto.*

16. Vísne DEO animam tuam de hoc seculo migrare jubenti parére, adeóq; mori ex obedientia? ℟. *Volo.*

17. Nunquid te plenè quoad locum, tempus, modum, & omnes mortis circumstantias Divinæ voluntati resignas? ℟. *Resigno.*

18. Nunquid non desideras vel puncto temporis diutiùs vivere quàm placeat DEO tuo? ℟. *planè non desidero.*

19. Nunquid omnes tuos dolores, & molestias cum doloribus, & Pafsione Christi unitas offers DEO in satisfactionem peccatorum tuorum? ℟. *Offero.*

20. Nunquid ex una quidem parte doles, quòd per morbum non pofsis ad templum ire, Horas Canonicas (*si Sacerdos est*) orare, sacrificare, mortificationes corporis obire, Gloriam DEI, & proximi salutem procurare? ex altera verò parte DEO ità disponenti (ut qui bonorum tuorum non eget) plenè acquiescis, ejùsq; te voluntati etiam in his perfectè resignas? ℟. *Resigno & acquiesco.*

21. Conjungísne mortem tuam cum morte Christi, B. V. & Sanctorum omnium? ℟. *Ita.*

22. Nunquid Divinam Bonitatem humillimè rogas, ut tibi peccata omnia dimittat; ut per mortem tuam glorificetur DEUS: ut statim à morte DEUM videas? ℟. *Rogo quàm humillimè.*

23. Parcísne omnibus ex corde, qui te, quâcunq; demum ratione tota vita læserunt: ídq; eo modo, quo tibi

tibi peccata tua à Deo ignosci desideras? ℞. *Parco ex toto corde.*

24. Nunquid gratias agis Divinæ Providentiæ, quòd inimicorum injuriis, & persecutionibus, tanquam flagello ad te castigandum uti voluerit? ℞. *Ago gratias.*

25. Nunquid inimicis tuis omnem benedictionem, gratiam, & felicitatem in hac vita, in altera sublimissimos cœlestis gloriæ gradus ex animo exoptas? ℞. *Sincerè exopto.*

26. Nunquid vicissim petis humiliter, ut cæteri quoq; omnes tibi offensas, quibus quoscunq; & quacunq; ratione læsisti, ignoscant? ℞. *Peto humillimè.*

27. Nunquid libenter moreris propterea, quòd per mortem constituaris extra periculum peccandi, Deúmq; offendendi summum, æternum, Incommutabile Bonum? ℞. *Libenter morior.*

28. Nunquid de toto animi affectu desideras statim à morte Deum tuum videre, amare, possidere, illúmq; cum omnibus Sanctis æternum laudare? ℞. *Utinam! ah desidero.*

29. Nunquid desideras, ut omnia tua suspiria non sint nisi divini Amoris jacula & omnes cordis motus, non sint, nisi perfectissimæ ergaDeum charitatis actus? ℞. *Unicè desidero.*

30. Nunquid omnia, & singula vitæ adhuc restantis momenta Divino Amori consecras; & ut similiter vitæ præterita omnia momenta soli Deo consecrata fuissent, ardenter exoptas? ℞. *Consecro & exopto.*

31. (*Inter porrigendum Crucifixum*) Agnoscisne hunc

hunc Redemptorem tuum JESUM Christum pro te crucifixum? amásne illum? adoras? & exosculáris? ℟. *Agnosco, amo, & exosculor.*

32. Nunquid in illo totam Salutis Spem reponis? ℟. *Repono.*

33. Nunquid intra vulnera illius, à facie iræ Paternæ, abscondi desideras? ℟. *abscondi desidero.*

34. Nunquid in sacratissimas illius manus Spiritum tuum commendas? ℟. *Commendo.*

35. ( *Inter porrigendam B. V. imaginem* ) Ecce charissime, ecce Mater tua; nunquid in maternam ipsius misericordiam te totum commendas? ℟. *Totum me commendo.*

36. Nunquid illi pro omnibus Beneficiis, quæ tibi toto vitæ tempore concessit, gratias agis? ℟. *Humillimas ago illi gratias.*

37. Nunquid enixè rogas, ut illos suos misericordes oculos ad te convertat, & JESUM benedictum Fructum ventris sui tibi post hoc exilium ostendat? ℟. *Ah rogo, quàm maximè!*

38. Nunquid in illa primariò post DEUM tuam de consequenda salute fiduciam collocas, ac defigis? ℟. *Colloco, ac defigo.*

39. Si mille corda haberes, nónne mille cordibus MARIAM amares? ℟. *Mille cordibus Mariam amarem.*

40. ( *Inter exhibendam Sancti Patroni imaginem, quem æger singulariter in vita coluerit.* ) En Imaginem S. Patroni tui, Sancti N. quem singulari pietate studebas, dum sanus eras, prosequi; nunquid rogas, ut

ut tibi cum Angelo tuo Custode morienti benignè succurrere, & adesse dignetur? ℟. *Rogo enixissimè.*

41. ( *Religioso exhibeatur ad osculum, & venerationem Sancti Patriarchæ, seu Fundatoris Icon, & quæratur ex eo.* ) Ecce Parens tuus, Charissime; nunquid ex animo doles, quòd illum, ut par erat, in vita non colueris? quòd ea, quæ ipse tibi in Regulis, & Instituto præscripsit, negligenter servaveris? quòd ipsius cultum apud alios pro viribus procurare neglexeris? ℟. *Doleo! ah Doleo!*

42. His tamen non obstantibus, nunquid filiali affectu te in paternam illius charitatem & protectionem commendas? ℟. *Omnino me totum commendo.*

43. Nunquid illum suppliciter rogas, ut animam tuam à morte suscipere, DEO præsentare, suisq; in Cœlo filiis, tuis quondam Fratribus, ejusdémq; Instituti Cultoribus aggregare dignetur? ℟. *Hoc unicè desidero! hoc à meo S. Patre N. indignus licèt filius, humillimè peto.*

44. Vísne te participem facere omnium *Indulgentiarum,* quæ verè contritis, & sanctissima JESU, & MARIÆ nomina corde vel ore pronunciantibus sive *Sodalibus Marianis,* sive *religiosis* N. sive hoc vel illud *Numisma,* Sancti vel Sanctorum habentibus in extremo mortis articulo conceduntur? ℟. *Volo, & ad hunc finem dolens de peccatis ex amore DEI pronuncio Sanctissima nomina dicóq; : JESUS MARIA! amores mei, dulcissimi amores mei! patiar ego, moriar ego, amore vestri. Sim totus vester, & nullo modo meus.*

45. Estne aliquid Charissime, vel in fama, vel in

 pecunia,

pecunia, vel in rebus aliis quibuscunq;, quod injustè retineas, quódq; aliis restitui oporteat? ℟. *Est hoc* N. *vel illud* N. vel: *Quod sciam, nihil est.*

46. Estne testamentum ritè confectum? ℟. *Est*, vel: *Non.*

47. Estne aliquid præterea, quod conscientiam tuam gravet; & cum quo non velles coram supremo Tribunali DEI Justissimi Judicis comparere? ℟. *Laus DEO nihil est.* vel: *Est hoc N.* vel: *illud* N.

## *Conclusio.*

JAm igitur Charissime Frater, cùm per DEI Gratiam, sis omnibus Sacramentis munitus, in paternas DEI manus plenè resignatus, cum Deo, proximo, & Conscientia reconciliatus; nihil præterea restat, nisi, ut mortem à Deo tibi ordinatam magno, fortíq; animo excipias, in Divina Bonitate, & Redemptoris tui Jesu Christi meritis, & Passione confidas, calicem dolorum tibi à Christo propinatum usq; ad ultimam, quæ super est, guttam generosè exhaurias, abjectâ omni rerum temporalium curâ solam salutem cogites, ad Beatitudinem cœlestem aspires, mentem in Deo fixam assiduè habeas, in vulneribus Christi Crucifixi habites, deniq; Sanctissima JESU, MARIÆ, & JOSEPHI Nomina corde, & ore volutes, ut illa sint Tibi ultima meta vitæ, & principium felicitatis æternæ: ad quam te perducere dignetur JESUS Christus, *Dominus* Creator, & Redemptor tuus, qui vivit, & regnat DEUS in secula seculorum.

Amen.

CAPUT

# Caput V.

## *Orationes ab Adſtantibus pro moribundo dicendæ.*

VIdemus interdum Moribundos lethali ſymptomate oppreſsos eò recidere, ut ſolâ ſpirandi facultate præditi per horas complures nihil videant, nihil audiant, intelligant nihil, nullum pietatis indicium edere, ne dicam orare, animúmq; ad Deum elevare valeant. Quid hîc facto opus? Adſtites Moribundi vicem suppleant oportet, & ſepoſitâ inutili comploratione, ac inconditis clamoribus, ad Orationem, tanquam ultimum & commune refugium ſe conferant, Deúmq; ac Dominum noſtrum pro felici Morientis exceſsu ardenter deprecentur. Quod duobus modis præſtari poteſt. alter eſt, ut quis ipſam Moribundi in extremo agone conſtituti perſonam induat, & Preces, Aſpirationes, Affectus hactenus propoſitos nomine ipſius eliciat. alter, ut pro Moribundo, ceu fratre ſibi chariſsimo, ut quorum uterque matrem eandem S. Eccleſiam agnoſcat & veneretur, DEO preces offerat, tum eas potiſsimùm, quæ in *Commendatione animæ* præſcribuntur; tum quas *Directorium morientium* INNOCENTII LAMESSE Carthuſiæ Prioris, & totius Sacri Carthuſienſis Ordinis Generalis Miniſtri ex *Dionyſio* Carthuſiano ſubminiſtrat. Sunt autem illæ hujusmodi.

*Oratio.*

SVavissime Domine Jesu per illum ineffabilem amorem, qui te dignissimum, innocentissimum, & delicatissimum paternæ charitatis Filium pro nobis factum hominem, vulnerari, ac crudeliter mori pro hominibus redimendis fecit: indulge clementissime Domine Jesu, huic famulo tuo omne, quod cogitatu, verbo, & facto, affectionibus, motibus, & sensibus animæ, & corporis deliquit, & veram omnium peccatorum suorum remissionem concede. Sacratissime Domine Jesu, tribue illi spirituale lumen tuæ ardentissimæ Charitatis, qua totius Mundi culpas diluisti: ac in plenam suppletionem omnium negligentiarum suarum, meritum tuæ sacratissimæ Passionis adde: & insuper tribue illi fructum omnium bonorum operum, per electos tuos, qui tibi placuerunt, factorum.

Oratio.

*GLoriosissime Domine JESU, in unione ferventissimi amoris, qui te coëgit incarnari, & anxio Spiritu in cruce mori, ad medullam dulcissimi amoris tui pulsamus, ut famulo tuo omnia peccata, quæ omnimodo commisit, dimittas: & tuo perdignissimo passionis merito omissa suppleas, faciásq; illi secundùm super abundantissimam multitudinem miserationum tuarum: dispones eum placidissimo tibi modo, sibi utilissimo, suavi patientiâ verâ pœnitentiâ, plenâ remissione, rectâ fide, Spe firmâ, ardenti charitate, & perfectissimo statu: quatenus inter dulcissimum amplexum, & suavissimum osculum tuum, ô clementissime Domine*

*Domine JEſu, ejus anima lætanter expiret ad tuam æternam Laudem, & gloriam laudandam, cognoſcendam, & fruendam.*

*Oratio.*

SAcratiſsime Domine JESU Chriſte, in manus inextingvibilis miſericordiæ tuæ commendamus ſpiritum hujus famuli tui, ſecundùm amoris tui magnitudinem, quò ſe anima tua Sanctiſsima in cruce glorioſo Patri commendavit: ſuppliciter deprecantes: quatenus per illam ineffabilem charitatem, quâ divina paternitas in ſe totam traxit illam ſanctiſsimam animam tuam, in iſta hora famuli tui in eodem ferventiſsimo amore ſpiritum ſuſcipias. Eja dulciſsime Domine JESU Chriſte animarum Redemptor, benigniſsime Domine, per illam lacrymabilem vocem, quâ ſecundùm humanitatem pro nobis moriturus, laboribus, & doloribus paſsionis adeò conſumptus es, ut te à Patre derelictum ter clamares: nè longè, ſvaviſsime JESU, facias à famulo tuo tuæ miſerationis auxilium in hac hora afflictionis ſuæ, præ defectione, & conſumptione Spiritûs te invocare non valente: ſed per triumphum ſanctæ Crucis, & per virtutem ſalutiferæ paſsionis, & gratioſæ mortis tuæ: cogita de eo cogitationes pacis miſericordiæ, conſolationis, & non afflictionis: Et libera eum ab omnibus anguſtiis, & tua ſolita benignitate bone JESU dulciſsime pater, erue illum à tormentis ſibi deputatis, & ad æternam requiem illum perducere digneris cum voce exultationis. Amen.

## Oratio.

*MIsericordissime Domine JESU Christe Fili DEI vivi, in unione illius commendationis, quâ tuam sanctissimam animam in cruce moriens, Patri tuo cœlesti commendâsti, misericordissimam bonitatem tuam humiliter exorantes petimus: quatenus per omnem honorem, & meritum ejusdem animæ tuæ sanctissimæ, per quam omnes salvantur animæ, & à morte perpetua liberantur, animæ famuli tui miserearis, eam misericorditer liberans ab insidiis diaboli, & à miseriis, & pœnis: & illam per sanctissimæ passionis tuæ meritum, & Beatissimæ, ac Gloriosissimæ Virginis, & Matris tuæ intercessionem, ad contemplationem tuæ beatissimæ Visionis perducere digneris.*

## *Oratio.*

O Piissime Domine JESU Christe, Rex sæculorum, qui in cruce existens, pro tuis crucifixoribus Patrem rogâsti, dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt; Deprecamur Majestatem tuam Domine JESU Christe, ut in mente hujus servi tui, tuæ orationis effectum renovare digneris: quatenus omnes ejus offensas, illi dimittas: Et sicut tunc tu exauditus es, sic nunc cum Patre ipsum, nosq; pro illo exorantes exaudire digneris: nescit enim quid faciat, dum ex fidei tarditate tepidus coram Te existit. Exoramus Te Bone JESU, ut in hoc obitu suo omnia peccata illi dimittas; Et pro tuæ sacratissimæ Passionis merito ad Angelorum Societatem eum clementer perducas.

## Oratio.

*O Gloriosissime Domine JESV Christe, dulcedo Angelorum, qui in cruce pro nobis pendens veram fidei Lucem in cor latronis infudisti, ut te verum Deum, & hominem cognosceret, dum clamavit memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum: Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut in hoc famulo tuo in extremis laborante, venerabile fidei Sacramentum, & dignitatem consecrare digneris: quatenus tua sanctissima Passione mediante, sic in cor ejus tuum amorem imprimas, ut in suo obitu, tuo ardens amore ab immundis spiritibus liberetur, & ad tuam beatam gloriam cum jubilo perducatur. Amen.*

## *Oratio.*

O Clementissime Domine JESU Christe, Verbum æterni Patris, ac filius gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris: qui mundum visibiliter deserens, & maternæ solicitudini compatiens, ei prædilectum discipulum tuum in filium adoptâsti: supplicamus humiliter Majestatem tuam per merita passionis tuæ, per preces, & merita ejusdem dilectæ Matris tuæ, & prædilecti Discipuli tui: quatenus digneris in animam hujus servi tui spiritum tuæ charitatis infundere, quô tibi cohœrens, DEO Patri adoptetur in filium. Committe quæsumus Domine de throno gloriæ tuæ curam hujus animæ, gloriosæ matri tuæ: quatenus in mortis agone aspectus dæmonum non paveat: sed in te lætâ mente confidentem clementer suspicias, & ad cœlestem gloriam deducente sacratissima Matre tua pervenire facias. Amen.

 Oratio.

## Oratio.

O *Piissime JESU Christe DEI, & hominum Mediator, qui pro salute nostra pœnas nobis debitas in tuo passibili corpore sustinuisti: & ut graviores pœnarum amaritudines gustares, sponte voluisti in hora tuæ passionis à tua Humanitate dulcedinem unitæ tibi Deitatis subtrahere, cùm clamâsti Eloi Eloi lamma Sabachthani: oramus clementiam tuam quatenus svavissime Domine JESU Christe hujus Servi tui animam protegendo tua svavi consolatione lætifices, nam si ipsum ipse Pastor deseris, mox adversarius tuus in idipsum irruet, & occidet. Si propter demerita sua tribulari, & deseri meretur, quæsumus svavissimam bonitatem tuam, nè illum adversariis tradas diffidentiæ, & desperationis tenebris tribulandum: nec insensibilem ad gratiam facias, sed per charitatis tuæ gratiam vivens, & tuæ absentiæ amaritudinem sentiens, piâ voce gemendo ad te clamet: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me! Tu autem piissime Pater, & Pastor, tua svavi pietate ei subveni, quem pretioso sanguine tuo redemisti, nec tua gratia diu ipsum in hoc obitu patiatur affligi, donec ad cœlestem patriam tuorum meritô dolorum, clementer perducas. Amen.*

## *Oratio.*

O Svavissime Domine JESU Christe DEI & hominum mediator, qui inter cœtera tormenta, quæ in cruce pertulisti corporaliter, sitire voluisti vehementer dum clamâsti: Sitio: Deprecamur Majestatem tuam, quatenus animam servi tui, in illo nunc igne digneris urere, quem in terras mittere venisti, quô cun-

ctis vitiis desiccatis illius anima, & caro charitatis tuæ igne succensa, te solum sitiat, te diligat, te quærat, reperiat, & fruatur: Et ipsam ad æternam beatitudinem sanctissimæ passionis tuæ meritò, jubilosè digneris adducere. Amen.

## Oratio.

*O Sacratissime Domine JESU Christe, omne bonum consummans, qui cum acetum gustâsses, dixisti: consummatum est: & inclinato capite Spiritum emisisti: obsecramus Majestatem tuam pro anima hujus famuli tui in extremis existentis, quatenus gratiæ tuæ dulcedinem, & splendidum fidei lumen infundas illi, ut extremam horam in sanctæ Charitatis tuæ brachiis finire, & tibi dicere valeat: Ecce clementissime Domine JESU nunc ad te venio, tuâ svavi voce, jube suscipi Spiritum meum in æternam tuam charitatem. Amen.*

## *Oratio.*

O Sacratissime Domine JESU Christe corona certantium, qui in cruce pro nobis pendens, docuisti nos compendiosè in extremis nostris orare, dum tu nobis exemplum tribuens clamâsti: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum: Exoramus Majestatem tuam, quatenus in virtute Spiritus Sancti eandem digneris Orationem in corde hujus famuli tui inprimere, ut eam personet, & in hac ejus extrema hora illius sentiat effectum, in tuas sacratissimas manus animam suam humiliter recommendando. Amen.

Oratio.

O *Misericordissime Domine JESU Christe, reparator humani Generis, qui in die Passionis tuæ in nervorum, & ossium contractione, pœnam acerbissimam sensisti, & pretiosissimum caput tuum spinarum densitate punctum fuit, & latus tuum lanceâ perforatum, unde fluxit Sanguis, & aqua: deprecamur Majestatem tuam, quatenus animam hujus famuli tui virtutum luminoso splendore illustres, & tribuas illi tuarum acerbitatis Spinarum meritô, de offensis ab eo tibi illatis vehementer dolere, & pœnam habere: ut omnia ejus delicta, tuæ pretio Sacratissimæ Passionis, deleantur, & ad Angelorum Societatem, te trahente, pervenire valeat. Amen.*

*Oratio.*

O Clementissime Domine JESU Christe, solamen miserorum, qui peccata nostra in tuo corpore portâsti, verè tu es DEUS qui dolores nostros tulisti, & à perpetua morte nos liberâsti, quia in sacratissimo corpore tuo à planta pedis usq; ad verticem non fuit Sanitas, & qui eras præ filiis hominum speciosus, quasi leprosus reputatus fuisti: Deprecamur svavissimam charitatem tuam, quatenus omnia hujus servi tui peccatorum vulnera sanes, ut omnibus vitiis emundatus ad te clementissimum Patrem, & Dominum spirituali solamine roboratus, lætanter pervenire valeat: Et quia tuo pretiosissimo Sanguine est redemptus, & tuæ passionis insignia gestat: ad gloriosissimam visionem tuam omnium passionum tuarum meritò, concomitantibus sanctis Angelis deducere eum digneris. Am.

Oratio.

## Oratio.

*O Svavissime Domine JESU, Beatorum requies, & omnium in te sperantium jucundissima salus, qui in nocte passionis tuæ ad Patrem orâsti: Pater si possibile est transeat à me calix iste, verum tamen non mea voluntas sed tua fiat; & illâ horâ in tanta angustia fuisti, ut de corpore pretioso tuo Sanguis efflueret: deprecamur te bone JEsu, quatenus solitâ pietate tua adjuves animam hujus famuli tui, ut pro delictis, & offensionibus, quæ commisit terreatur, & moveatur ad veram pœnitentiam: ut in hac extrema hora in occursu adversarii non paveat, aut in adventu, & aspectu tuo judex tremende, accusante conscientiâ, contremiscat: sed potiùs faciem tuam in jubilo videns delectetur, præstante Domino nostro JESU Christo, cujus passione redemptus est. Amen.*

## *Oratio.*

O Dulcissime Domine JESU Christe, misericordiarum Pater, & totius consolationis Deus: qui in nocte tuæ amarissimæ passionis ab Apostolis derelictus fuisti, & inter hostes tuos solus remansisti: supplicamus tibi Domine JESU Christe. ut nunc in obitu hujus servi tui animam ejus non derelinquas in manibus dæmonum, sed ad locum quietis, & tuæ beatissimæ Visionis ipsam per tuæ mortis virtutem perducas. Amen.

## Oratio.

*O Sacratissime Domine JESU Christe Salvator Mundi, qui ob peccata nostra abolenda crudeliter verberari, spinis turpiter coronari, ab æmulis tuis enormiter illudi, & in cruce nudus ut latro affigi voluisti:*

*exoramus te Domine JESU Christe, per has passiones tuas, ut animam hujus famuli tui in extremis laborantis, vera contritione in peccatorum commissorum dolore compungas, & tuo timore corones, & in cruce tua omnes ejus mentales sensus crucifigas: quatenus sic totus à te spiritualiter vulneratus, tuorum vulnerum meritô, omnium delictorum suorum veniam consequatur, & ad gaudia cœlestia pervenire mereatur. Amen.*

*Oratio.*

O JESU DEUS noster, oculos hujus famuli tui illumina, nè in morte obdormiat, neq; inimicus ejus dicat: prævalui adversùs eum. Exaudi Domine Jesu Christe orationes nostras pro eo. Illumina Domine Jesu animam ejus. Signa Domine Jesu Christe lumen vultûs tui super eum. Humilem lætitiam Domine Jesu infunde in cor ejus. Voce nostra Domine Jesu Christe, clamamus ad te pro eo. Bone Jesu de excelso gloriæ tuæ exaudi nos pro eo orantes. Susceptor ejus esto Domine Jesu Christe in obitu suo. Angelorum præsentiâ Domine Jesu Lætifica animam ejus. Amen.

Oratio.

*O JESU Christe Domine Deus noster, voces Orationis nostræ pro hoc famulo tuo intende. Rex noster bone JEsu cor ejus illumina, & lætetur Domine JEsu anima servi tui, quia sperat in te. Domine JEsu semper exultet de te. Speret bone JEsu hic famulus tuus in te. Domine JEsu salvum fac ipsum ex omnibus persequentibus eum, & libera eum. Ut quid bone JEsu recessisti longe? Domine JEsu Christe nè despicias*

*despicias servum tuum in opportunitatibus, & tribulatione. Secundum misericordiam tuam Domine JEsu, animam servi tui vivifica, ut bone JEsu nomini tuo psallat in ævum. Amen.*

*Oratio.*

O JESU Christe Domine DEus noster, nè in furore arguas servum tuum, neq; bone JEsu in ira tua corripias illum. Exultet bone JEsu in te salutari suo servus tuus. Bone JEsu libera eum ab interitu dæmonis. Salvum fac bone JEsu servum tuum, quoniam spiritus ejus deficit, & veritates tuæ ab anima ejus diminutæ sunt. Vide Domine JEsu animam servi tui in obitu laborantem, & de manu peccatoris, libera eam. Serva Domine JEsu animam servi tui, & custodi illam à generatione mala in ævum. Amen.

Oratio.

*O JESU Christe Domine Deus noster, animam hujus famuli tui conserva, quoniam sperat in te: illustra cor ejus ut jubilosè ad te veniat. Exultet ô bone JEsu cor servi tui morientis in te: cantet, & psallat tibi Domino DEO suo in æternum. Sub umbra alarum tuarum Domine JEsu Christe hunc famulum tuum protege à facie impiorum, qui illum affligunt. Usq; quo avertes faciem tuam ab eo? Salva Domine JEsu Christe ex ore Leonis animam hujus famuli tui, & à cornibus unicornium bone JEsu misericorditer libera eum. Amen.*

*Oratio.*

O JESU Christe Domine DEus noster anima hujus famuli tui requiescat in te, esto illi nunc refugium,

gium, & liberator. Exurge bone JESU in adjutorium servi tui, dæmonem præveni,& expelle, nè animam famuli tui rapere valeat. Sit bone JESU nomen tuum dulcissimum benedictum, ex hoc nunc, & usq; in sæculum. Voce nostra, bone JESU, ad te pro servo tuo clamamus: Salva illius animam in hac hora. Salvam fac Domine JESU animam famuli tui, & libera eam bone JESU, quia DEUS ejus es tu. Amen.

## Oratio.

*O Dulcissime JEsu Christe, Domine Deus noster, animam hujus servi tui salvam fac: ut de tua præsentia semper lætetur. Exultet in te piissime JEsu servus tuus: psallat, & cantet tibi in ævum. Speret in te Domine JEsu hic famulus tuus: eripe illum ne pereat. Vias tuas Domine JEsu famulo tuo ostende: & semitas tuas doce illum. Secundùm magnam misericordiam tuam clementissime JEsu Christe miserere servo tuo: & propter ineffabilem bonitatem tuam animam illius illumina. Amen.*

## *Oratio.*

O JESU Christe Domine Deus noster, humilitatem, & laborem famuli tui vide: & omnia ejus delicta dimitte. Exaudi bone JESU vocem nostram, quâ pro anima servi tui ad te clamamus, miserere illi, & salva illum. Salvam fac animam famuli tui Domine JESU, & de cœlo benedic illi. Velociter bone JESU preces nostras pro servo tuo exaudi, quia illius spiritus deficere incipit. Secundùm misericordiam tuam Domine JESU animam famuli tui vivifica, ut sanctæ fidei lumen jubilosè custodiat. Amen.

Oratio.

## Oratio.

*O JEſu Chriſte Domine Deus noſter, judica animæ hujus ſervi tui nocentes, expugna ocyùs impugnantes illam. Effunde bone JEſu frameam tuam adversùs illos, qui perſequuntur animam famuli tui: dic animæ ejus, Salus tua ego ſum. Salus Domine JEſu eſto animæ ſervi tui, & ejus protector in omni tribulatione. Vide bone JEſu afflictionem famuli tui, nè ſileas, & nè diſcedas ab illo. Salvator animarum bone JEſu, exurge in adjutorium ſervi tui, nè à te, aſpectu dæmonis ſeparetur. Amen.*

## *Oratio.*

O JESU Chriſte, Domine Deus noſter, intende animæ famuli tui, & libera illam, & propter terrorem inimici tuo ſplendore illuſtra illam. Exaudi bone JESU ſervum tuum, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundùm meritum gratiæ tuæ libera illum. Salvum fac bone JESU ſervum tuum: illius mentem tuâ gratiâ illumina. Vocem ſervi tui Domine JESU exaudi in hac hora, & propter nomen ſanctum tuum protege illum. Salus electorum bone JESU tu es: lumine tuo lætifica animam famuli tui, ut ad te perveniat. Amen.

## Oratio.

*O JEſu Chriſte Domine Deus noſter, ſecundùm miſericordiam tuam judica ſervum tuum, ut qui oderunt eum non ſuper gaudeant illi. Exurge bone JEſu, adjuva ſervum tuum, & propter nomen tuum redime eum. Salutaris noſter bone JEſu, ad te converte ſervum tuum, & oſtende illi glorioſam faciem tuam.*

*Verita-*

*Veritatem, & lucem tuam Bone JEſu emitte famulo tuo, & ipſa illius animam deducant, & adducant in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Spiritum tuum Domine JEſu infunde ſervo tuo, ut vivat in æternum. Amen.*

*Oratio.*

O JESU Chriſte Domine Deus noſter, ſuſceptor eſto famuli tui, & libera eum ab omni malo. Exurge bone JESU, ſalvum fac ſervum tuum, ut non timeat dæmones circumdantes animam ejus. Servus tuus Domine JESU anguſtiatur, ſubveni illi, ut tuâ præſentiâ conſoletur. Vide Domine JESU tentationes, quas famulus tuus patitur, & ſuccurre illi nè pereat. Sentiat anima ſervi tui Domine JESU auxilium gratiæ tuæ, & perpetuò gaudeat in te. Amen.

Oratio.

*O JESU Chriſte Domine Deus noſter, adjutor eſto famulo tuo, & lumen ſanctæ fidei illi infunde, ut lætè veniat ad te. Exurge bone JEſu in adjutorium famuli tui, exurge, & nè repellas illum à te. Suſcipe Domine JEſu Chriſte animam ſervi tui, & vivat: & non confundas illum ab expectatione ſua. Virtutum amator bone JEſu, converte faciem tuam ad famulum tuum, & ab omni dolore libera illum. Super ſervum tuum Domine JEſu deprecabilis eſto, & ſalva illum ab omni malo. Amen.*

*Oratio.*

TE ſumma DEUS Trinitas omnipotens æterne DEUS, qui es ſemper per omnia DEUS benedictus in ſæcula, quem omnis Spiritus laudat, ſuppliciter exoramus;

mus: quatenus per merita illius ineffabilis, & excellentiſsimæ Charitatis, quâ dilectiſsimus filius tuus Dominus noſter JESUS Chriſtus, homo fieri dignatus eſt, quâ etiam pro ſalute noſtra, vincula, opprobria, convitia, flagella, alapas, coronam ſpineam, ac immaniſſimam mortem amoroſè paſsus eſt: ac etiam per meritum glorioſiſsimæ, & beatiſsimæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum, qui tibi ab initio Mundi placuerunt: nec non per virtutem clavium ſpiritualium, quas clementiſsime bone JESU, Eccleſiæ tuæ Miniſtris tradidiſti, ut huic famulo tuo in extremis laboranti miſericorditer indulgere digneris omnia peccata ſua, quæ ab hora ſacri baptiſmatis uſq; ad præſens quoquo modo, malitiâ, miſeriâ, ignorantiâ, ac fragilitate commiſit: & ipſum per ſanctas indulgentias, & abſolutiones ex theſauris tuæ immenſæ charitatis indultas, reddere digneris in illa puritate, innocentia, ac ſpirituali claritate: quæ in baptiſmate donare dignatus es: dignare etiam ſvaviſsime Domine JESU ab omni aſpectu, & terrore dæmonum ipſum tueri; & propter glorioſi nominis tui honorem, ipſum in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ gratum reddere: quatenus dulciſsime Pater, ac amabiliſsime Redemptor bone JEſu, meritò omnium Sanctorum tuorum, & præſertim ſacratiſsimæ paſsionis tuæ animam ejus in ulnas ſanctæ Charitatis tuæ clementer ſuſcipias, te perenni jubilo in Cœlorum beatiſsimo regno fruituram. Amen.

## Oratio.

*DOmine DEUS Omnipotens, qui trinus & unus es, tuâ eximiâ compulſi charitate: te humiliter*

*exoramus, pro anima servi tui nunc in extremis laborantis, quam sacratissime Domine commendamus piissimæ omnipotentiæ tuæ; ut illam ab aspectu, & terrore dæmonum custodias, & tuearis, nè indesperationem labatur, nec diffidentiæ tentationibus obnubiletur, ac præteritarum culparum recordatione maculetur. Exaudi nos Domine gloriose tuam suavissimam bonitatem interpellantes pro illa: & exaudi per Orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per Victoriam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, per devotam intercessionem omnium, qui tibi ab initio placuerunt. Suavissime Domine ab istius anima repelle jactantiam, & compunctionem tribue; superbiam minue, & perfice humilitatem; fletum suscita, & cor ejus mollifica: ab omnibus insidiis inimici illam clementer libera; & in lumine fidei conserva illam: lumen gratiæ tuæ infunde illi, ut de omnibus peccatis veram contritionem obtineat. Clementissime Domine omnia desideria mala tolle ab ipsa, omnia Diaboli tela ignea extingue: Dona illi lachrymas ex tuo ardenti affectu, quæ peccatorum suorum dissolvant vincula. Audi Domine quæ petit, & celeriter exaudi: Si despicis prorsus perit; si prospicis vivit. Si Justitiam requiris, ante te mortua fœtet: Si cum Misericordia respexeris, ipsam peccatis fœtentem de desperationis barathro suscitas. Quod in ea odis, longè fac ab ipsa, & Spiritum tuæ Spiritualis lætitiæ illi tribue. Bone JESU animæ ejus parce malis, criminibus, & peccatis. Visita illum infirmum, ægrotum cura, languidum sana. Domine*

*JESU*

JESU da illi cor quod timeat te, ſenſum, qui intelligat te, & oculos ſpirituales, qui videant te. Domine JESU miſerere illi, & de ſede Majeſtatis tuæ clementer reſpice, & animæ ejus tenebras tui ſplendoris radio illumina. Clementiſsime Domine JESU à te peccatorum ejus remiſsionem humiliter petimus, à quo, & per quem eſt omnis propitiatio. Sancta & immaculata Virgo Maria Domini noſtri JEſu Chriſti Mater te obnixè deprecamur: quatenus pro anima hujus ſervi tui intervenire digneris apud illum, cujus templum effici meruiſti. Sancte Michaël, ſancte Gabriel, ſancte Raphaël, ſancte Angele cuſtos ejus, cum omnibus choris Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſsorum, Sacerdotum, Levitarum, Eremitarum, Doctorum, Monachorum, Virginum omniúmq; Juſtorum per eximium Domini noſtri JESU Chriſti amorem, qui vos elegit, de cujus contemplatione gaudetis, vos orare audemus, ut pro hujus fratris noſtri anima ſupplicare dignemini: quatenus de diaboli faucibus, & de morte perpetua, liberari mereatur. Domine JEſu perpetuam vitam ſecundùm magnam miſericordiam tuam ei largire digneris. O clementiſsime Domine JEſu, qui omnium miſereris, famulum tuum à tua miſericordia fieri alienum non patiaris: quatenus in ſacratiſsimæ paſsionis tuæ merito ab omnibus peccatis ſuis abluatur, & tecum æternaliter in Cœlorum regno beatiſsimo glorietur. Amen.

*Oratio.*

O Maria beatiſsima, propter illius terroris commotionem, quo cor tuum contremuit, quando filium

tuum dulcissimum Dominum nostrum JESUM Christum filium DEI vivi ab impiis captum, ligatum, ad supplicia tractum, & ab omnibus derelictum audisti: adjuva nunc servum tuum in extremis laborantem: quatenus de præteritis delictis veram contritionem habeat, & dolorem: & cor illius illustratum superno splendore sit in fervida pœnitentia: nè fortè in hoc obitu suo in occursu adversarii paveat, aut in adventu, & aspectu tremendi Judicis, accusante conscientiâ, contremiscat: sed potius precibus tuis intervenientibus, ipsius faciem in jubilo videns delectetur. Amen.

## Oratio.

*O Virgo dulcissima DEI Genitrix Maria, propter planctus, & lachrymas quibus afficiebaris, quando filium tuum Dominum nostrum JESUM Christum filium DEI, vidisti Præsidi præsentari, ab iniquis innocentem accusari, & opprobriis affici: impetra huic famulo tuo lachrymarum gratiam, & sacræ fidei indelebile lumen, quo offensionis maculas abluere valeat: Et tu Mater gloriosa eum nunc adjuva, nè Satanas ei illudere possit, ac diversis tentationibus pro libitu suo flagellare, devictúmque reum statuere terribili Judici: sed potius seipsum in lumine fidei judicet in præsenti, ac disciplinis veræ pœnitentiæ devotè flagellet. Amen.*

## *Oratio.*

O MARIA svavissima DEI Genitrix, ob cruciatus, & angustias, quæ sustinuit cor tuum, quando filius tuus Dominus noster JESUS Christus filius DEI vivi, clamantibus Judæis crucifige, morti adjudicatus & cru-

cis

cis supplicio condemnatus est: Subveni piissima Mater huic servo tuo in extremis laboranti: Quia corpus illius dolore infirmitatis torquetur, & anima hinc per dæmonum insidias, hinc per terrorem districtæ discussionis angustiatur: Subveni, inquam, svavissima Domina, nè æternæ mortis Sententia contra illum feratur, aut flammis æternalibus tradatur perpetuò cruciandus: Verùm, te pro ipso intercedente, ad cœlestem gloriam potius pervenire mereatur. Amen.

## Oratio.

*O Virgo clementissima DEI Genitrix Maria, ob illius doloris gladium, qui tuam felicissimam animam pertransivit, quando cernebas Filium tuum delicatissimum Dominum nostrum JEsum Christum Filium DEI vivi nudum in cruce levatum, clavis perforatum, cruore perfusum, ac plagis, & vulneribus laceratum: adjuva nunc Beatissima Domina animam hujus famuli tui, ut compassionis gladius eam perfodiat, divini timoris & amoris lanceâ vulneret: ità ut omnis peccati sanguis noxius à pectore effluat, à vitiisq; mundetur, & divinis virtutibus decoretur: quatenus desiderio, & toto affectu terrena despiciens, ad cœlestia sublevetur: ad quæ te deducente jubilosè pervenire mereatur. Amen.*

## *Oratio.*

O Maria Virgo sanctissima, ob tormentum, & gravamen, quod cor tuum sustinuit, quando filium tuum sanctissimum Dominum nostrum JESUM Christum filium DEI vivi, præ dolore voce magna clamantem, te Matrem dilectam Joanni commendantem, de-

ficientémque attendebas: itá ut præ nimio dolore loqui non posses: subveni ô gloriosa Domina famulo tuo nunc, quia lingua ejus ad te invocandam se movere non potest, oculi ejus lumine privantur, aures ejus surdescunt, & obturantur, omnésque vires ac sensus deficiunt. O piissima Mater exaudi preces nostras, quas ad aures tuæ pietatis fundimus: & subveni huic famulo tuo in hoc obitu suo, ac svavissimo filio tuo ejus Spiritum commenda: quatenus tu pio interventu à terroribus, & tormentis libera, ad desideratam cœlestis patriæ requiem te comitante jubilosè pervenire mereatur. Amen.

## Oratio.

*O Maria Virgo castissima, ob acerbi ejulatûs planctum, quem de profundo pectoris erumpentem abscondere non valebas, quando in amplexus filii tui ruebas: cujus genas ante nitentes, & ora, mortis palloribus perfundi conspiciebas: auxiliare svavissima Mater huic servo tuo, quatenus de delictis commissis sic doleat, ut anima ejus mellifluis osculis, & amorosis amplexibus Domini nostri JEsu Christi in cœlorum beatissimo regno dignè valeat perfrui. Amen.*

## *Oratio.*

O Maria Virgo gloriosissima, ob singultus, & suspiria indicibiliáq; lamenta, quibus afficiebatur virgineum cor tuum, quando cernebas filium tuum Dominum nostrum JESUM Christum filium DEI vivi, animæ tuæ unicum solatium sepeliri: adjuva ô sacratissima Mater, animam servi tui in hac lachrymarum valle laborantem, ut cum à corpore egressa fuerit, tuis suffragantibus

gantibus meritis, cum corusco charitatis lumine, te concomitante Domino nostro Jesu Christo glorificanda à te præsentetur. Amen.

Oratio.

O *Maria Virgo suavissima huic servo tuo morienti miserere, & orationem nostram pro eo pia Mater exaudi. Ad te gloriosissima Virgo Maria oramus pro famulo tuo: Mater sacratissima nos orantes pro eo velociter exaudi. Respice beatissima Virgo Maria in servum tuum, & miserere illi, quia gloriosa Mater unicus, & pauper est. In pace tua suavissima Virgo Maria hujus famuli tui anima dormiat, & requiescat. Auribus gloriosa Virgo Maria percipe verba orationis nostræ pro famulo tuo, & intellige clamorem cordis nostri pro eo beatissima Mater. Amen.*

*Oratio.*

O Maria Virgo piissima servo tuo miserere, quoniam infirmus est: animam ejus suavissima Mater sana, quia omnia interiora ejus conturbata sunt. Animam servi tui gloriosa Virgo Maria, de manu satanæ eripe. Respice suavissima Virgo Maria inimicos servi tui, quoniam multiplicati sunt. Convertere pia Mater, & salvum fac illum. Beatissima Mater adjuva illum nè pereat. In tua Justitia suavissima Virgo Maria deduc famulum tuum propter inimicos ejus, dirige in conspectu tuo vias ejus. Anima servi tui turbata est valde, & tu suavissima Mater, salva illum nè cadat à via sancta. Amen.

## Oratio.

O *Maria Virgo ſacratiſsima adſis famulo tuo, Mater beatiſsima, adjuva illum nè pereat. Auribus percipe glorioſiſsima Virgo Maria orationem noſtram pro famulo tuo, nè dæmon glorietur de ejus perditione. Refugium eſto ſvaviſsima Virgo Maria huic pauperculo morienti, in hac horribili tribulatione eſto illi adjutrix. In lumine fidei glorioſiſsima Virgo Maria animam ſervi tui lætifica, ut ejus mens non moveatur à timore Domini. À reſiſtentibus dexteræ tuæ ſvaviſsima Virgo Maria animam ſervi tui cuſtodi, & præſentiâ tuâ conſolare illam. Amen.*

### *Oratio.*

O Maria Virgo miſericordias tuas cum famulo tuo moriente mirifica, illum in te ſperantem ſalvum fac. Aures tuas glorioſiſsima Virgo Maria ad ſervum tuum inclina, & affectum cordis illius exaudi; nam in tribulatione maxima verſatur. Reſpice ſvaviſsima Virgo Mater hujus ſervi tui morientis anguſtias, & illum libera, & ad te preces noſtras pro illo intende. In hac terribili animadverſione famuli tui, glorioſiſsima Virgo Maria invocamus te, quatenus ſvavi aſpectu tuo lætifices illum. Ad te ſvaviſsima Virgo Maria animam ſervi tui trahe, non erubeſcat, quoniam ſperat in te. Amen.

## Oratio.

O *Mæria Virgo Beatiſsima animam ſervi tui illumina, & tenebras ejus mentales tua prece depelle. ab inſurgentibus in famulum tuum glorioſa Virgo Maria libera eum, & à ſpiritu iniquo protege illum. Reſpice*

*ſpice in ſervum tuum morientem ſuaviſsima Virgo Maria, & libera eum ne pereat. Imple clementiſsimā Virgo Maria preces noſtras pro hoc famulo tuo, ut ſentiat, quia tu es ſuaviſsima Mater ejus. Auxilium de Cœlo glorioſa Virgo Maria mitte ſervo tuo, & de excelſo tuere illum. Amen.*

*Oratio.*

O Maria Virgo beatiſsima auxilium tuum nè elongaveris à ſervo tuo, ad illius defenſionem propera. A framea diaboli glorioſa Virgo Maria animam famuli tui libera, & de manu illius eripe ipſum. Reminiſcere miſericordiarum tuarum ſuaviſsima Virgo Maria, & de inferno animam famuli tui libera. In veritate tua glorioſa Virgo Maria animam ſervi tui dirige, & eſto illi ſuaviſsima conſolatrix. Animam famuli tui beatiſsima Virgo Maria cuſtodi, & erue illam ne in deſperationem labatur. Amen.

Oratio.

*O Maria Virgo ſuaviſsima ſervo tuo quoniam tribulatur miſerere: & nè aſpectu dæmonis terreatur illum adjuva. Anima famuli tui ô Domina, & glorioſiſsima Virgo Maria, jubilet in te, & delectetur in ſuaviſsimo Chriſto nato tuo. Reſpice beatiſsima Virgo Maria ad famulum tuum, in manibus tuis animam illius ſuſcipe. Illuſtra faciem tuam glorioſiſsima Virgo Maria ſuper ſervum tuum, in tua miſericordia illum ſalvum fac. à perſequentibus animam ſervi tui ſuaviſsima Virgo Maria eripe illum, & de manu odientium eum libera illum velociter. Amen.*

*Oratio.*

O Maria Virgo beatiſsima, eſto animæ famuli tui in refugium à tribulatione, quæ circumdat illam, tuâ præſentiâ lætifica illam. Apprehende glorioſa Virgo Maria arma, & ſcutum,& exurge in adjutorium ſervi tui. Retrorſum avertantur ſvaviſsima Virgo Maria, & confundantur dæmones: & nè animam famuli tui obnubilent; tu glorioſa Virgo Domina adjuva illam. Induantur, glorioſa Virgo Maria, dæmones pudore, & confuſione, & animæ ſervi tui in nullo prorſus nocere valeant. Animam famuli tui clementiſsima Virgo Maria reſpice, & à deceptione adverſarii illam erue. Amen.

Oratio.

*O Maria Virgo beatiſsima, famulo tuo miſerere, quoniam undique conculcatur, & dæmon tota die impugnans tribulat animam ſervi tui. Glorioſa Virgo Maria, fac eum de te exultare, ut delectetur in ſvaviſsimo Filio tuo. Redde Beatiſsima Virgo Maria ſpiritualem lætitiam famulo tuo, & per te cor illius confirmetur in Domino DEO. Inclina glorioſiſsima Virgo Maria aurem tuam ad ſervum tuum, quoniam inops, & pauper eſt. Adjutrix eſto ſvaviſsima Virgo Maria famulo tuo, adjuva illum nè in æternum pereat. Amen.*

*Oratio.*

O Maria Virgo ſvaviſsima, famulo tuo miſerere, quoniam in te confidit anima ejus. Adjuva glorioſa Virgo Maria ſervum tuum, & ſalvus erit: meditetur ſemper in lege Domini. Reſpice beatiſsima Virgo

Maria

Maria in ſervum tuum, & miſerere illi. Da ſpirituale donum illi, ut filius gratiæ ſit. In quacunque hora glorioſa Virgo Maria invocaverimus te pro ſervo tuo, velociter exaudi nos orantes pro illo. Auribus percipe beatiſsima Virgo Maria orationes noſtras pro famulo tuo, & intende ad deprecationem noſtram. Amen.

## Oratio.

O *Maria Virgo dulciſsima, exultet ſervus tuus in tua Miſericordia, quoniam tu es ſuaviſsima peccatorum reſpiratio. Anima ſervi tui glorioſa Virgo Maria exultet in te, non deſeras neq; deſpicias illum. Reſpice glorioſa Virgo Maria afflictiones quas patitur anima ſervi tui, non derelinquas illum dæmoni tribulandum. In ſemitam rectam glorioſiſsima Virgo Maria animam famuli tui deducas, nè glorietur Satan contra illum. Ad te glorioſa Virgo Maria piè clamamus pro anima ſervi tui, ut tuo benigno foveatur præſidio. Amen.*

## Oratio.

O Maria Virgo ſvaviſsima famulum tuum ab omnibus anguſtiis quas patitur, libera, ut jubilet tibi cum omnibus Sanctis. Adhæreat glorioſa Virgo Maria anima ſervi tui tibi, tu ſuſcipe illam, ut ſequatur te. Recordare beatiſsima Virgo Maria, quia tu es advocata miſerorum, & miſerere animæ famuli tui, ut ad jucunditatem cœleſtem pervenire valeat. In manibus tuis glorioſa Virgo Maria animam famuli tui ſuſcipe clementer, ut exultet, & lætetur de tua gloria, & ſalvatione ſua. Ad te ſvaviſsima Virgo oramus pro anima famuli tui, ut per te præſentetur glorioſiſsimo filio tuo Domino

Domino nostro JESU Christo perpetuò spiritualiter copulanda. Amen.

## Oratio.

*O Intemerata, & in æternum benedicta Virgo Maria, totius angustiæ, & miseriæ adjutrix, famulo tuo succurre dulciter, & tuam gloriosam faciem ostende illi in hac ultima necessitate sua, & omnes inimicos ejus virtute svavissimi filii tui Domini nostri JESU Christi, & sanctæ crucis, duperde, & à potente Dracone infernali, & ab ejus horribili visione, & ab omni fraude malorum spirituum defende, & protege famulum tuum, & ab omni angustia libera eum, quatenus tecum cum beatis spiritibus Domino DEO in cœlorum beatissimo regno spirituales persolvat laudes. Amen.*

## *Oratio.*

O Sancte Michaël Archangele huic animæ succurre apud altissimum Judicem. O invictissime pugil, assiste huic famulo in extremis laboranti, & eum potenter à Dracone infernali defende, & à Visione fraudéq; malorum spirituum. Insuper exoramus te præclarum signiferum, ut in hac extrema hora vitæ ipsius, animam ejus benignè suscipias, ac svaviter in sinum tuum recipias, illámq; in locum refrigerii, lucis, & pacis perducas cum Domino JESU æternaliter regnaturam. Amen.

## Ad proprium Angelum.

*O Sancte Angele DEI, ab eodem huic famulo tuo in custodem, in protectorem, & gubernatorem assignate: quas gratias possumus tibi dignas, vel ipse per se,*

*se, vel nos pro illo, tuis beneficiis agere, qui à tam multis periculis illum præservâsti, tanto tempore protexisti, tantóque tempore ei salutaria procurâsti: profectò nullas possumus dignas: beneficia enim tua excedunt. Oramus tamen humiliter de omnibus hujus infirmi negligentiis, irreverentiis, atque inobedientiis veniam illi supplicantes, ut qui tanto tempore indefessus ejus Salutem procurâsti, in hac ultima necessitate illum non deseras: sed ab omni formidine, ab omni pusillanimitate, ab omnibus hostium insidiis, ab omni tentatione, & ab omni malo illum protegas ac liberes. Adsta ei nunc fidelissimus Amicus, & custos, quia præter te non habet alium, qui sui curam gerat, qui se defendat, qui suam zeletur salutem: non illum deseras donec reconciliatum DEO offeras, in misericordia, & non in judicio. Eja custos omnium fidelissime, lucretur nunc per te Christus hanc animam, à qua non cesses donec compuncta, contrita, atque à DEO in sui gratiam recepta confirmetur, qui sit benedictus in secula. Amen.*

# FINIS.

# Index Capitum
Quæ hoc libello continentur.

## PARS I.

*De remota ad felicem mortem Præparatione.*

CAPUT I.
Christus imitandus in Morte.

CAPUT II.
Volentes Christum imitari in morte, priùs imitentur in vita.

CAPUT III.
Qnidnam in Christi vita imitandum; & primùm quidem Animi nitor, & bene operandi studium.

CAPUT IV.
De Studio bene operandi.

CAPUT V.
Aliæ in Christo imitandæ virtutes, putà: Abnegatio sui, Amor Dei, & Proximi.

CAPUT VI.
De Amore DEI.

CAPUT VII.
De Amore Proximi.

CAPUT VIII.
Ad felicem mortem juvat, Exemplo Christi sæpe mortis meminisse.

CAPUT

CAPUT IX.
Quibus occaſionibus memoria mortis elici poſsit.
CAPUT X.
Memoria mortis ex diurnis actionibus.
CAPUT XI.
Pſalmorum verſus mortis memoriam refricantes.
CAPUT XII.
Ex uſu Senſuum, Loco item, & Tempore poteſt elici memoria mortis.

# PARS II.

*De Proxima ad felicem mortem Præparatione.*

CAPUT I.
Chriſtus imminente morte Sanctiſsimæ ſuæ Matri valedicit.
CAPUT II.
Chriſtus Cœnam Paſchalem celebrat.
CAPUT III.
Diſcipulorum pedes lavat Chriſtus.
CAPUT IV.
Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit.
CAPUT V.
Argumenti ejusdem Proſecutio.
CAPUT VI.
Cœpit JESUS pavere, & tædere, contriſtari, & mœſtus eſse.
CAPUT VII.
Poſitis genibus, providens in faciem tuam ſuper terram, orabat.

CAPUT VIII.
Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.
CAPUT IX.
Et factus est sudor ejus sicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.
CAPUT X.
Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum.
CAPUT XI.
Tunc Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.
CAPUT XII.
Christus flagellatur, spinis coronatur, cruci affigitur.
CAPUT XIII.
Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.
CAPUT XIV.
Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.
CAPUT XV.
Mulier, ecce filius tuus. Ecce Mater tua.
CAPUT XVI.
DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me.
CAPUT XVII.
Sitio.
CAPUT XVIII.
Consummatum est.
CAPUT XIX.
Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.
CAPUT XX.
Inclinato capite tradidit spiritum.

# PARS III.

*De Præparatione ad mortem violentam.*

CAPUT I.

Mors repentina hominibus familiaris & frequens.

CAPUT II.

Mortem repentinam improbis maximè metuendam esse.

CAPUT III.

Morti repentinæ Justos etiam obnoxios esse.

CAPUT IV.

Prima ad mortem repentinam Præparatio, *Vigilare.*

CAPUT V.

Altera ad mortem repentinam Præparatio, *Conscientiam sedulò discutere.*

CAPUT VI.

Alia ad mortem repentinam Præparatio, *Quotidie mori.*

CAPUT VII.

Alia item ad mortem repentinam Præparatio, *Testamentum condere.*

CAPUT VIII.

Rursum alia ad mortem repentinam Præparatio, *De morte meditari.*

CAPUT IX.

Postrema ad mortem repentinam Præparatio, *Exercitiis S. P. Ignatii animum excolere.*

CAPUT X.
In Eventu subitæ mortis quid facto sit opus.

# PARS IV.

*Orationes, Affectus, Aspirationes ad impetrandam felicem mortem accommodatæ.*

CAPUT I.

*Orationes.*

§. 1. Oratio Dominica, & Angelica Salutatio.
§. 2. Commendatio animæ serviens bene valentibus.
§. 3. Orationes sanis & ægrotantibus servientes.
§. 4. Protestationes S. Caroli Borromæi.
§. 5. Orationes ad Christum Crucifixum.
§. 6. Orationes ad B. Virginem.
§. 7. Orationes ad Angelum Custodem & Sanctos Patronos.

CAPUT II.

*Affectus.*

§. 1. Affectus Blasii Palmæ & Pauli de Barry, in epitomen redacti.
§. 2. Affectus varii in Deum.
§. 3. Affectus ad Christum Agonizantem.

CAPUT III.

*Preces jaculatoriæ, seu Aspirationes.*

§. 1. Aspirationes Fidei ad Deum.
§. 2. Aspirationes Spei, & Fiduciæ.

 §. 3. Aspira-

§. 3. Aſpirationes Charitatis.
§. 4. Aſpirationes Contritionis.
§. 5. Adorationis.
§. 6. Gratiarum actionis.
§. 7. Oblationis.
§. 8. Gaudii ſpiritualis.
§. 9. Patientiæ.
§. 10. Reſignationis.
§. 11. Deſideria ad cœleſtem Patriam.
§. 12. Aſpirationes ad Chriſtum Crucifixum.
§. 13. Ad Bſs. Virginem.
§. 14. Ad Angelos, & Sanctos Cælites.

CAPUT IV.

Quæſtiones ægrotis proponendæ.

CAPUT V.

Preces dicendæ ab Adſtantibus pro moribundo.

# A. M. D. G.

ERRATA,

# ERRATA,

## Lector Benevole, sic corrige.

P*Ag. 4. lin. 7. à fine. exerendas Lege :* exercendas.

Pag. 9. l. 12. *moriendum. adde :* moriendum foret.

Pag. 14. l. 17. *Blecſemau.* Lege : Blecſeman.

Pag. 22. l. 17. neq;. *Lege :* nega.

Pag. 24. l. 7. à. fin. quid tamen. *lege :* quid tam.

Pag, 27. *Vide pag. 265.*

Pag. 29. *hujus libelli pag. 227.*

Pag. 30. l 7. quit. *lege :* qui.

pag. 31. l. 10. à fin. neccеſse. *lege :* neceſse.

pag. 32. lin. 4. illa. *lege* illæ.

*Ibid.* lin. 6. primoribns. *lege* primoribus.

*Ibid.* lin. 17 gloriofi. *lege :* gloriosi.

pag. 37. l. 2. à fin. pollicentur. *lege :* pollicerentur.

pag. 43. lin. 5. à fin. cogitattones. *lege :* cogitationes.

pag. 47. pag. 265.

pag 58. l. 12. à fin. per dolorts, *lege* per dolores.

pag. 60. lin. 9. percuſiſse. *lege.* percuſsiſse.

*Ibid.*

*Ibid.* lin. 14. irritari. *lege.* irritati.
pag. 63. l. 5. à fine Aaguſtinus. *lege.* Auguſtinus.
*Ibid.* lin. 10. à fin. *fodicare.* lege: fodicari.
pag. 64. lin. 7. à fin. quà. *lege.* quæ.
pag. 65. l. 3. limem. *lege.* limen.
pag. 66. lin. 12. Paccator. *lege:* Peccator.
pag. 95. lin. 7. Hoc egit II. *adde.* Hoc egit Philippus II.
pag. 100. lin. 7. vonvaluiſsem. *lege:* convaluiſsem.
*Ibidem.* on eſt. *lege:* non eſt.
pag. 100. lin. 13. tametſi *conſilio* errore timoris præoccupatus: *lege:* tametſi *conſimili* errore &c.
*Ibid.* lin. 8. à fin. Nomine, *lege:* Domine.
pag. 101. lin. 7. ab ægrtudine. *lege:* ab ægritudine.
*Ibid.* lin. 10. ante hac. *adde:* ut ante hac.
pag. 108. lin. 11. voluit. NB. noluit.
pag. 110. lin. 2. à fin. qua. *lege.* quam.
pag. 119. lin. 12. cœlos. *adde.* video cœlos.
pag. 120. lin. 7. à fine. qui alas. *adde:* qui, ſi alas.
pag. 134. lin. 3. omninum. *lege:* omnium.
pag. 135. lin. 12. expravit. *lege:* exſpiravit.
pag. 139. lin. 18. omnlbus. *lege.* omnibus.
pag. 140. lin. 4. domeſtiea. *lege:* domeſtica.
*Ibid.* lin. 6. à fin. aſpcrnati. *lege.* aſpernati.
pag. 146. l. 4. à fin. crux. NB. *lege:* crus.
pag. 159. lin. ult. à fin. feliceter. NB. *lege.* felices ter & amplius
pag. 166. lin. 12. an aliquid. *adde:* an ſit aliquid.
pag. 171. lin. 7. à fin. nnde. *lege.* unde.
pag. 190. lin. 13. cxſiccare. *lege.* exſiccare.
*Ibid.* lin. 9. à fin. compoſuoris. *lege.* compoſueris.

pag. 191. lin. 7. Qotidiè. *lege*. Quotidiè.
pag. 195. lin. 2. à f. qnarum. *lege*. quarum.
pag. 196. lin. 13. à f. difceedendum. *lege*. difcedendum.
*Ibid.* lin. 10. à fine. concefafm. *lege*. concefsam.
pag. 197. lin. 6. beatifsmus. *lege*. beatifsimus.
pag. 202. lin. 4. à fin. maxmiam. *lege*. maximam.
pag. 203. lin. 14. velox & fit. *dele* tò *&c.*
pag. 218 l. 7. à fin. æternæ. *lege*: æterne.
pag. 233. lin. 2. à fin. tnnc. *lege*: tunc.
pag. 236. lin. 6. Lyræum. *adde*: apud Lyræum.
pag. 237. lin. 7. á fin. S. Jon. *lege*. S. Ignatii.
pag. 239. lin. 10. à fin. Emmanule. *lege*. Emmanuele.
pag. 240. lin. 7. à. fin. JOSEPHPUM. NB. *lege*. JOSEPHUM.
pag. 244 lin. 13. à fin. juvaudísq;. *lege*: juvandísq;.
pag. 249. lin. ult. Societate. *lege*: forte.
pag. 259. lin. 11. à fin. neq; verè. *adde*: neq; fidem verè.
*Ibid.* lin. 7. à fin. Pater æternæ. *lege*: Pater æterne.
pag. 264. lin. 8. Sangnis. *lege*: Sanguis.
*Ibid.* lin. 17. *adde*: cum Sanctis tuis.
pag. 287. lin. 1. in crucc. *lege*: in cruce.
pag. 288. l. 10. á fin. ex fanguinibus. *lege*. exfanguibus.

pag.

# *Errata.*

pag. 300. lin. 11. à fin. ſacrificio. *lege :* ſacrifico.
pag. 301. lin. 6. à f. ocultis. *lege.* occultis.
pag. 302. l. 5. Quia. *lege : Qui.*
pag. 303. lin. 7. à fin. ut nomine. *adde :* ut in nomine.
pag. 311. lin. 14. peti. *lege :* petii.
pag. 344. lin. 9. tu. *lege :* tuo.
pag. 346. lin. 4. à fine. tni. *lege :* tui.
Index Capitum. part. 2. cap. 7. lin. 2. á fine providens. *lege :* procidens.